Q. D. B. V.

DISPENSATIONEM MATRIMONIALEM

Præſcitu & benevolo indultu

INCLUTI JCTORUM ORDINIS

in florentiſſimâ Salanâ,

SUB

Tutamine

VIRI NOBILISSIMI,

DN. HEINRICI Linckens/ D.

& Almæ Academiæ Altdorffinæ deſignati

PROFESS. PUBL.

Dn. Promotoris & Præceptoris ſui ætatem devenerandi,

In Acroaterio Juridico

Publicæ placidæque Eruditorum diſquiſitioni

ad d. Mart. Anno M. DC. LXXIV.

H. L. Q. conſvetis

Subjicit

GOTTFRIED RITZ, Budiſſa Luſ.

Autor & Reſpondens.

JENÆ, Typis Samuelis Adolphi Mülleri.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Antiquá Proſapiá & generoſo Stemmate
Adoleſcenti

OHAN. GEORGIO
VIETZTHUM
ab Ekſtädt/ in Jahmen/ Kitten &c.

Magni Parentis Filio æmulo Juveni
ad magna nato
&
ſupra ætatem docto

hanc qualemcunque lucubrationem Academicam
primum ſtudiorum ſuorum fœtum
in
familiaritatis olim conciliatæ jucundam recordationem, ulterioremque favoris benignitatem
officioſé
conſecrat & offert
Indolis ejus generoſiſſimæ virtutumque
incomparabilium

perpetuus admirator
GOTTFRIED RITZ,
AUTOR.

D. D. J.

VArias de connubio eſſe hominum opiniones, plurium gentium teſtantur hiſtoriæ. Sunt enim nonnulli tanta mentis caligine, tam tetris animi tenebris oppreſſi, ut ea ſæpe numerò ſtudeant improbare, quæ potius efferri laudibus dignisſima ſunt; hinc præter cætera non licere ſocietatem matrimonialem inire ſtatuunt, fortunatosque ſe credunt, ſi in connubio nunquam vivant, de qua re Mitio Terentianus loquitur: *Uxorem nunquam habui, neque ullam deſidero.* Rationes reddens jus canonicum aſſerit, *magnum onus eſſe viro habere uxorem & liberos, nuptias terram implere, virginitates verò paradiſum, per c.12.c.32. quæſt. 1.* Quo poſito non ſine cauſa quæreremus, unde naſcerentur futuræ Eccleſiæ membra, ubi maneret Reipubl. commodum. Sine generatione enim, quæ genus humanum quaſi immortale facit, ut ait Juſtinianus *L. Lege 2. C. de legit. hæred. Nov. 22. in præf. & §. rurſus Nov. 39.* neque Reſpubl. neque Eccleſia ſubſiſtere poteſt *L. 1. ſol. matr. L. 2. C. de ind. vid. toll.* & proinde ſicut Reipubl. intereſt, ut repleatur civitas liberis *d. L. 1. ſol. matr. L. hoc modo 64. de cond. & demonſtr. L. fin. §. ſi plures ff. de bon. damnat.* Ita intereſt & Eccleſiæ & Reipubl. quæ brevi perirent funditus, frequentari matrimonia, quod cum in ſua civitate neglexiſſet Epicurus, ab Epicteto jure meritoque taxatur, quod in porta impegerit & à fundamento ipſo aberraverit. Quare prima Legislatorum cura fuit, ut frequentia connubia procurarent. Imo in ipſo orbis primordio, cum maximus mundi Parens, Legislator optimus, cœtera omnia ſolo

mandato procreaſſet, denique ad opus omnium pulcherrimum & præſtantiſſimum, hominem ſcil. creandum pervenit, ſingulari & quaſi communi decreto conſilioque marem ex puriſſimis terræ medullis effinxit, cujus injucundam prorſus & moleſtam fore vitam intellexit, niſi ſociam ei mulierem adjungeret; Itaque non amplius è terra, ſicuti marem, ſed ex ipſius maris coſta una, quam dormienti ſubtraxerat, primam fœminam conformavit. Cur autem non ſit facta ex capite, rationem reddunt Canoniſtæ, ne eſſet domina, nec ex pede, ne famula, ſed ex coſta, ut collateralis & quaſi ſocia eſſet mariti. vid. *elegans Gl. in c. fin. ſuper verb. coſta c. 33. quæſt. 5.* ut poſteri omnes intelligerent, nihil uxore carius eſſe debere, quam de maris corpore produxiſſet; quibus deinde præceptum illud dediſſe legitur, ut per conjunctionem ſobolem progignerent & in multitudinem usque eò creſcerent, ut hominibus terram implerent. *Geneſ. 1. & 2. verſ. 28.* Idque ne fortaſſe per incuriam aut ob moleſtias partus aut educationis amitterent, mutuam ſexuum in ſe invicem propenſionem & acres ſtimulos, ſimul ardentiſſimum in prolem affectum inſevit, ut libenter & jucunde obirent, citra quod mortalium genus perdurare non poteſt, proinde non tantum Juris natalis Sacerdos Pufend. *de I. N. & G. lib. 6. c. 1. & 2.* ſed & Ulpian. *in l. 1. §. 3. de J. & J.* & Juſtinianus *in princ. Inſt. de I. N. G. & C.* ex naturæ origine matrimoniorum neceſſitatem deducunt. Add. *L. un. C. de rei ux. act.*

Quapropter omnes & ſinguli, qui per ætatem atque habitudinem corporis idonei ſunt, ad matrimonium ineundum ſobolemque generandam etiam de jure naturæ tenentur, quod tamen Dn. Pufend. *cit. lib. 6. c. 1. §. 7.* intelligit per modum præcepti affirmativi, indefiniti & indeterminati, quod ad ſui impletionem occaſionem requirit, quæ occaſio non ex ſola ætate, aut generandi aptitudine intelligitur, ſed ut copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem naſcituram. Hinc Plato *de LL. l. 4.* vultenus quisque uxorem ducat, cum annos habet triginta, cogitans,

tans, quod naturâ quâdam humanum genus immortalitatem conſequatur, cujus rei quisque naturâ ſummoperè cupidus eſt.

Nemo enim eſt, qui non deſideret perpetuum apud poſteros nomen habere. *L. 220. §. fin. de V. S.* Antiqui Ebræi quoque, docente Seldeno *de jur. Nat. & Gent. juxta diſcipl. Hebræorum L. V. c. 3.* tradebant, præcepto illo divino: *Creſcite & multiplicamini*, omnes maſculos teneri, ut ante expletum annum vigeſimum uxorem ducant, niſi aut aſſiduò Legis ſtudio quis incumbat, acriori libidinis ſtimulo immunis, aut partium, quibus viri ſumus, defectu generationis ſit impar. Et hoc præceptum omnes Noachidas ſtringit. Quemlibet enim, qui negligit præceptum de multiplicatione generis humani, pro homicida habendum eſſe, aſſerit Puſend. *de I. N. & G. lib. 6. c. 1. §. 6.* Qua in re ſequitur Rabinorum ſententiam, qui ex traditione veterum addunt, homicidii reum eſſe, qui liberis non dat operam. Rabb. Salom. *in c. 9. Geneſ.* ad eum forte ſenſum, quo Auguſtus dixit: *Cælibes homicidium committere, quia eos non procreant, quos naſci ex iis conveniebat; ſacrilegium, quia tollunt genus ſuum à Deo immortali monſtratum, tanquam maximum omnium ſacrorum ἀνάθημα τῶν: impios eſſe, quia honores & nomina majorum delent: civitatem diſſolvere, quia leges ſpernunt: patriam perdere, quam infœcundam reddunt & evertunt funditus, ſubtractâ radice, ex qua ſubnaſci deberent cives.* Dion. *lib. 56.* Apud alias Gentes Leges atque ſententiæ in eundem ferè ſenſum occurrunt, Lycurgus, ut refert Plutarchus, Virgines nudas in publicis theatris adoleſcentibus conſpiciendas exhibuit, pœna adjecta, ſi quis adoleſcentum hiſce ſpectaculis de induſtria ſe ſubtraxiſſet, ut ſcil. animos deſides ad nuptiarum delectamenta invitaret. Et Phocylides monet: *Ne maneas celebs, ne fortè obſcurus pereas: Da aliquid naturæ & gigne viciſſim, ſicut genitus es.*

Denique apud Romanos ex Lege Papia Poppæa de maritandis ordinibus in cœlibes animadverſum, quod commo-

dum publicum negligerent,& maritis præmia conſtituta ſunt, imo præferebantur hi illis in ſuſcipiendis faſcibus, vid. Gell. *lib. 2. Noct. Att. c. 7.* Continet hæc L. Julia & Papia, ſeu L. Papia Poppæa tum pœnas in cælibes, tum præmia in eos, qui multitudine liberorum juvant Rembupl. à Papio & Poppæo-Sueton. vocat Leges de maritandis Ordinibus. Gœdd. *ad L. 128. de V. S.* Aſt ne hodiè (ut antiqui agitaſſe dicuntur ante Cecropem, pecorum ritu ſine Lege cohabitantes, ſive ut Seldenus *L. V. c. 4.* ex Ebræorum Doctoribus oſtendit, ante Legem Moſaicam licuiſſe fœminæ innuptæ ac nondum deſponſatæ, ſui copiam corporis gratis aut pro mercede alicui facere ſine conſenſu in vitæ communionem) omnia connubia licita haberentur, quoad conſanguinitatem & affinitatem decorus ordo & certi gradus ſunt conſtituti, inter quos conſanguinei & affines matrimonium contrahere prohibentur, niſi *Diſpenſatio* accedat, quæ quandoque non ultimum ſibi locum vindicat. De quâ Diſpenſatione, quia multa utilia, necesſaria & ſingularia in ſe comprehendit, pauca, præſuppoſita prius prohibitione matrimoniali, in medium ſum prolaturus. Ut verò hoc feliciter fiat, cum Imperatore noſtro ; IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ad materiam ipſam me accingo.

CAP. I.

DE NOMINALIBUS DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS.

§. I.

INcognitis verbis non eluceſcere earum rerum, quæ verbis ſignificantur, dignitatem, in confeſſo cum ſit, ad unum omnes ferè in Themate aliquo felici pede progreſſuri, ante omnia in vocis incunabula inquirere ſolent; Etſi major & potior

tior rerum ſit habenda ratio, quam verborum. Gœdd. *ad rubr. tit. de V.S.* cum verba rebus ſint ſubjecta, non res verbis. *L. 2. fin. C. commun. de legat.* rectè tamen ſtatuunt illi, qui prius vocis uſum cognoſcunt & ad rei perceptionem transgreſſum faciunt, nam rerum intelligentia à verborum dependet, & ex nominis interpretatione rei ratio nota eſt, docente Scaligero *de cauſ. LL. 1. c. 4.* Quod ipſum quoque mihi circa Diſpenſationis matrimonialis evolutionem non negligere fas eſt, propterea neceſſarium erit ante omnia, in Exiſtentiam, an detur diſpenſatio, unde nomen ortum, & deinde in æquivocationem inquirere.

§. 2. Non abs re igitur à quæſtione, an detur Diſpenſatio, exordimur. Non pauci enim de non Ente, cujus nullæ ſunt cauſæ, nulli effectus, atque adjuncta altercantur; Quare Pius, teſte Felino *in c. ſolitæ. 6. de major & obed.* dicere ſolitus fuit, ſe mirari miſeros Legiſtas ſæpius diſputare de validitate rei, v. g. donationis hujus vel illius, quæ nunquam fuit. Dari autem diſpenſationem in contrahendis nuptiis, abunde ſatis conſtat è factis & quotidiana experientia, eaque ubilibet permunita, ut *ex ſeq.* patebit, adeoque nulla ratio ſuadet, ut hiſce latius inhæreamus; Videtur autem hoc vocabulum derivatum eſſe à diſpenſando, unde diſpenſatores. Remotius itidem hoc vocabulum nòn injuſtè Varro *Lib. 4. de Ling. Latin.* & Iſidorus deducit à pendendo. Dicebantur enim olim Diſpenſatores, quibus pecuniarum adminiſtratio credita erat, à communi ſcil. pendendæ pecuniæ modo. Hinc Servus Diſpenſator apud Jure Conſultos dicitur, qui impendia domus curat, quique victui præeſt, diligenter diſtribuendo, ut annotavit Alciat. *in d. L. 166. de V. S. n. 2.* & hac voce utuntur JurisConſ. *in L. diſpenſatori 51. & in L. diſpenſatorem 62. ff. de ſolut.*

§. 3. Enucleato ſic vocis Etymo, ſequitur homonymia, uſurpatur autem apud Latinos verbum diſpenſationis pro diſtributione & expenſo, germanicè vor das Hoffmeiſter Ambt / Schaffnerey oder ordentliche Austheilung. Is enim propriè

propriè dicitur diſpenſator, qui rationes Domini adminiſtrat, ut apparet *ex L. ult. §. ſi inter ff. de V. O.* & pecuniam diſpenſat, Gothof. *ad L. 62. pr. de ſolut.* vel qui impendia domus curat, quique victui præeſt, diligenter diſtribuendo, quod officium imprimis, ut *in theſ. anteced.* dictum, ſervis competebat, qui inde œconomi apud JCtos appellabantur, Schaffner/ die ihres Herrn Geld unter Händen haben/ damit zu ſchalten und walten. *L. 51. L. 62. ff. de ſolut. L. 1. ſin. pr. ff. de aur. arg. &c. L. 166. ff. de V. S.* de quo diſpenſatore loquitur Chriſtus *Luc. 16.* Præter hanc ſignificationem hæc vox aliam etiam obtinet, quando videlicet diſpenſare dicitur is, qui Principum pecunias curat theſaurorumque adminiſtrationem gerit. *L. 1. C. ſi adverſ. fiſc. & C. Th. de his qui cum diſpenſ. contrahunt.* quæ ſignificationes omnes huc non quadrant. Sumitur namque vocab. diſpenſationis hic ex communi loquendi conſuetudine, ut nihil aliud quam juris relaxationem & mitigationem denotet, ut teſtatur Beuſt. *de matrim. p. 2. c. 36.*

§. 4. Sumitur autem vocabulum Diſpenſationis quatenus mitigationem denotat, vel (1) latè, pro interpretatione Legis, vel (2) propriè & ſtrictè, prout ſignificat juris relaxationem & mitigationem, vel remotionem obligationis Legis in certo quodam caſu, ratione cujus alioquin obligaretur perſona. Beſold. *in theſ. Pract. ſub vocab. diſpenſiren.* Et eatenus occurrit in pœnarum remiſſione & in Matrimonialibus. vid. Myler. *de Prin. & Stat. Imper. c. 59.* Vigore quidem diſpenſationis pœnas Magiſtratus ſuperior non prorſus delinquenti remittere, ſed in mitiorem tantummodo pœnam mortis, aliamve corporis afflictivam, ut & pecuniariam mulctam commutare poteſt, v. g. pro rotæ aut ignis ſupplicio indicendo gladii pœnam, pro fuſtigatione relegationem, quod jus aggratiandi, pœnæque veniam indulgendi, Principi competit, juxta veriorem ac communiorem tam Politicorum, quam JCtorum ſententiam. Dn. Struv. *in Syntag. Feud. c. 6. aph. 14. n. 2.* Limn. *de jur. publ. lib. 4. c. 8. n. 277. & ſeqq.* modo pœna ipſo jure divino non ſit ſtatuta; Tunc namque delinquen-

linquentibus pœnas remittere nequeunt, vid. Knichen. *de Saxon. non prov. jure verb. Ducum Saxon. c. 5. n. 523.* Sed quia nec de hac diſpenſatione, ſed de diſpenſatione matrimoniali noſtrum Thema conceptum eſt; Ideoque ad definitionem Diſpenſationis noſtræ recto pede pergimus, eam juxta communem ſententiam delineantes; quod ſit juris ac Legis in gradibus matrimonialibus jure poſitivo prohibitis provida & ex urgenti cauſà ſive utilitate ſive neceſſitate facta relaxatio atque mitigatio. *Gl. & Cc. in c. literas. 13. verb. diſpenſare & verb. divina lege X. de teſtit. ſpoliat.* Felin. *in c. quæ in Eccleſiarum. 7. n. 25. X. de conſtitut.* Covarruv. *de matrim. part. 2. tom. 1. c. 6. §. 9. n. 1.* Speculat. *lib. 1. de diſpenſation. §. 1. n. 1.* Add. Carpz. *in jur. För. p. 4. c. 24. d. 14.* vel ſecundum Petri Corn. Brederodii ſententiam: *Quod ſit relaxatio prohibitionis humanæ. olim autoritate Romani Pontificis, vel aliorum Judicum Eccleſiaſticorum, hodie Principis aut Magiſtratus Politici in gradibus remotioribus collateralium probabili de cauſa facta.*

§. 5. Deſcripſimus verò Diſpenſationem non quamvis, ſed matrimonialem, quæ in nuptiis contrahendiis obſervatur, ſive conjugalem, ſive connubialem, ſeu nuptialem denomines, parum intereſt, quia Synonyma ſunt, id eſt, ejusdem rei appellationes, & propterea vocabulum matrimonialis adjectum eſt, quo reſtrictio denotatur, quare paucis etiam de hoc vocabulo agendum erit. Matrimonii appellatio à fine nuptiarum deſumitur, quod ſcil. virgines reddantur matres, ſpe enim materni nominis nubunt. Gell. *18. Noct. Attic. 6.* vel quod mater plus oneris ac laboris ſuſtineat in procreatione ſobolis, quam Pater. Eſt enim matri ante partum oneroſa, in partu doloroſa & poſt partum laborioſa. *c. fin. X. de converſ. in fid.* Conjugium à jugo vel jungendo dictum eſt, quia duo mas ſcil. & fœmina ſimul junguntur, & nullum vinculum arctius ligat, quo conjunguntur partes, quapropter ipſe Jehova tantùm eſſe fœdus matrimonii aſſeruit, ut vir parentis familiam relinquere debeat, quo novam cum uxore familiam conſtituat, & ex hac tam arctæ amicitiæ inſtitutione ſatis ap-

paret, Deo gratiſſimum eſſe, ut perpetua ſit ea conjunctio; non tamen exinde evincitur, à Deo jam tunc imperatum, ne ulla de cauſa fœdus illud ſolveretur, ſed ne propter quamcunque, quapropter Chriſtus quod Deus inſtitutione conjunxerat id ab homine ſeparari vetuit. *Matth. 19. v. 4.* Connubium & nuptiæ denique determinationem ſuam habent ab actu, quo utebantur veteres Romani in ſocietatis hujus conſtitutione, dum puellis noviter nuptis, cum jam jam adducendæ eſſent ad novellum maritum caput peplo obvelabant, videatur Briſſon. & Roſin. Hinc Apoſtolus Paulus *1. ad Cor. 11.* præcepit, ut nova nupta pudoris gratia ſe obnuberet & velaret, quod Rebeccam etiam Iſaaco deſponſatam feciſſe legitur *Geneſ. 24.* Gothof. *in not. ad L. 1. ff. de R. N.* Debebant ſic novæ nuptæ incedere obvelatæ in ſignum ſubjectionis, ut ſcirent, ſe viro eſſe ſubjectas & diſcerent humiles eſſe. *c. fœmina 7. c. nec illud 8. c. 30. quæſt. 5. c. eſt ordo 12. cum 2. ſeqq. c. 33. quæſt. 5.* Sed ne extra chorum ſaltemus, ad definitionem pergimus.

§. 6. Matrimonium quid ſit, *ex §. 1. Inſt. de Patr. Pot.* & *L. 1. ff. de Rit. Nupt.* abunde conſtat, cum vero in illa viri atque mulieris ſolummodo mentio fiat, hinc pauca, pro conditione noſtræ materiæ, de polygamia & diſpenſatione, quam circa illam in conjugio Patrum nonnulli admittunt, monenda erunt; Excluditur verò per definitionem matrimonii non *polygamia ſucceſſiva*, quando aut vir duas uxores ducit, aut uxor duobus pluribusve nubit viris ſucceſſivè, ſive poſt legitimum divortium, ſive poſt alterutrius obitum, prioribus enim mortuis plures uxores ducere per *t. t. C. d. S. N.* permiſſum eſt, quód etiàm teſtatur Muſcopol. *in vita Eurip.* ubi Gellio adverſatur, dum ſcribit: *duas quidem uxores duxiſſe Euripidem ſucceſſive, tamen unam poſt aliam*; ſed *ſimultanea*, quando unus vir plures ſimul & uno tempore uxores ducere cupit, quæ conjunctio primæ inſtitutioni divinæ repugnat. Hinc & unam & non plures uxores ſimul eſſe ducendas, apparet *ex c. gaudemus 8. X. de divort.* ubi invenitur, affectum conjugalem in plures fœminas dividi non debere; Ab initio quoq; non

inſti-

inſtitutum neque in mundum à Deo inductum eſſe matrimonium cum multis uxoribus, cum tamen eo maximè tempore ad generis humani multiplicationem fuiſſet neceſſarium. Una enim coſta in unam fœminam non in plures converſa eſt, *Geneſ. 2. & 22.* propterea dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ & erunt in carne una, non tres vel plures, ſed duo. *Epheſ. 5. v. 31.* Quare *D. Paulus 1. Cor. 7. v. 2.* ait: *Ad vitandam fornicationem, unusquisq; tenetur habere ſuam uxorem & quælibet ſuum maritum.* Eſto quoque, quod vocabulum duo non ponatur *Geneſ. 2. fin.* uti objicit Ochin. *in dialog. pro polygam.* tamen ex eo ſubintelligitur, quod cum propter ſobolis propagationem maximè opus fuiſſet multitudine uxorum, Deus tamen noluerit pellicem Evæ attribuere, ſed duo tantum creaverit in carnem unam, ut totidem verbis verba Moſis repetit Chriſtus *Matth. 19. v. 4. Marc. 10.* adeò ut Ochinus notam quandam hoc in loco vix effugere poſſe videatur, quando contineri negat in verbis Moſis, quod ibi contineri expreſſis verbis teſtantur Chriſtus & Apoſtoli. Quin etiam ſingulos cum ſingulis uxoribus vixiſſe usque ad Lamechi Caini trinepotis ætatem, qui duas ſibi uxores duxit, *ex text. Geneſ. 4.* conſtat, unde patet polygamiam ſuum traxiſſe ortum à maledicto viro, ut inquit Tertullian. *lib. de exhort. caſtit.* Primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit, ex qua digamia juxta *Joſeph aſſertum* liberi ſeptuaginta ſeptem prodierunt, quorum tres filii nominantur à Moſe paſtoratitia, Muſica & fabrili arte nobiles. Verùm ineptè hinc concludit Ochinus, multitudinem uxorum non diſpliçuiſſe Deo, cum liberos inde natos inſignitos reddiderit artium præclararum inventionibus, quaſi Hipocrates propterea etiam in Ethniciſmo ſuo placuiſſet Deo, quia Parens Medicinæ ejus beneficio extitit.

§. 7. A poſteritate Caini ſic introducta polygamia, ſancti Patres ita obfuſcati ſunt, ut divina quaſi diſpenſatione ſibi licere putaverint, quapropter facilis erit reſponſio ad objectionem de exemplis patrum, quibus poſt diluvium poly-

 gamia

gamia uſitata fuit. Nam ea conſuetudo plane erat contra primi matrimonii inſtitutionem, ac Patres habuerunt ſuos quosdam nævos, quos, etiamſi Deus toleravit, non tamen approbavit. *Actor. 13. v. 18.* Cum igitur exempla patrum hoc in caſu non omninò fuerint ſine vitiis, non ubique ſunt imitanda, aut ad diſſimiles caſus accommodanda, ſed vitanda. *L. obſervand. 47. ff. de Judic. L. 7. C. de probat. L. 1. ff. de SCt. Maced.* Non enim exemplis, ſed Legibus & verbo divino judicandum eſt. *L. nemo 13. C. de ſent. & interloc. omnium Jud.* Multi quidem cum Bellarmino ſtatuunt, quod Deus præſumatur de Lege prima propter ſobolis multiplicationem diſpenſaſſe, quod fieri potuiſſe non negamus, cum ſolus is, qui Legem tulit, legem tollere queat, verùm ut ut de poteſtate certi, tamen de voluntate Dei prorſus incerti ſumus, nec de diſpenſatione Dei ſpeciali quicquam patet ex ſacris literis, adeo ut tota hæc multas ducendi uxores licentia in factis, non legibus conſiſtat. Nec juvat Diſſentientium opinionem text. *ex Deut. 21. Si quis duas habuerit uxores unam, quam amat, alteram quam odit &c.* Nam præterquam, quod ex hâc L. ne licentia quidem plures ducendi uxores evincatur, eò quod odioſa potuerit eſſe repudiata, nihil inde ſequitur, niſi Deum in populo ſuo peculiarem in finem ad multiplicandam poſteritatem Abrahæ polygamiam toleráſſe, licet ipſa ſine peccato non fuerit. Neque obſtat *loc. ex Deut. 25. v. 5.* de ducenda vidua fratris, quem textum præ cæteris graviſſime urget Henniges ad Grot. Si enim ſenſum & verba hujus legis intimius paulò inſpicere velimus, certè polygamia inde probari non poteſt, niſi præſupponatur fieri poſſe, ut ducturus fratris uxorem jam ſuam ſibi habeat. Interpretatio verò ſemper ita facienda, ne ducat ad abſurdum; Abſurdum autem eſt, ſi putemus, Deum, qui vetuit ad vitandum odium & injuriam uxoris ejus ſuperinducere ſororem *Lev. 18.* voluiſſe, ut cauſa prohibitionis non amota in conſortium matrimonii cum legitima uxore comiter conſiſtentis adſciſceretur fratris uxor, à quâ graviores timendæ eſſent rixarum & diſcordiæ ſcaturigines, quam à ſorore

 ipſâ.

ipſi. Proinde verba ſub initium textus poſita, quibus limitatur & reſtringitur ad fratres ſimul cohabitantes, indicare videntur, eum conceptum eſſe non de uxoratis; Præterea non approbationem, ſed tolerantiam propter certam quandam rationem ex hoc textu quis poterit evincere, ut ex *c. ult.* §. 3. apparebit. Manet igitur veriſſimum, quod polygamia ſit contra primævam conjugii inſtitutionem, quamvis Henniges ad Grot. cum aliis hoc diſertè neget.

§. 8. Atque hæc de Polygamia, ubi præcipue Patrum Polygamia in diſquiſitionem venit, circa quam ſequentes notari poſſunt aphoriſmi. (1) Quod quidam exiſtiment, Patriarchas unam tantum legitimam habuiſſe uxorem, cæteras verò concubinas fuiſſe; Quidam verò contra ſtatuant, fœminas illas Patriarcharum veras & legitimas uxores fuiſſe, & quod quidam via ingrediantur media & Patriarchis ex divina diſpenſatione licuiſſe plures uxores ducere, quam ſententiam Bellarminus vocat communem, eamque amplectuntur Scholaſtici & Canoniſtæ. Verum hi poſteriores iterum in divortia ſententiarum abeunt. Quidam enim cum Thoma ſtatuunt, diſpenſationem illam factam eſſe, non quidem per externam aliquam locutionem aut ſcripturam, ſed per peculiarem inſpirationem Dei. Alii verò, inter quos etiam eſt Dn. Oſiand. *ad Grot. lib. 2. c. 5. §. 9. obſerv. 3.* exiſtimant, primis Patriarchis ex familiari converſatione cum Deo fuiſſe indicatam & deinde eorum exemplo ad alios tranſiiſſe. Verum quia hæc quæſtio de Polygamia Patrum non concernit articulum fidei, & nemo ex noſtratibus, teſte B. Gerhard. *in loc. de conj. §. 224.* hodiè negat, Polygamiam pugnare cum primæva conjugii inſtitutione, illamque in N. T. illicitam ac damnatam eſſe, ideoque de eo duntaxat quæritur, quomodo Patrum polygamia ſit excuſanda. (2) In quæſtione hac ſi quis velit *ἐπέχειν* nullam merebitur reprehenſionem, quæ moderatio Theologis præſtantiſſimis placuit, qui licet in unam quæſtionis partem magis propendeant, alteram tamen ſententiam non ſimpliciter damnant. Hinc Chemnit. *in Exam.*

Concil. Trident. p. 2. Exam. de matrim. ſeſſ. 24. c. 2. dicit; *Quicquid ſit, ſive de diſpenſatione & permiſſione, ſive de tolerantia Dei in polygamia veterum, hoc certum eſt, conjugium ex prima ſui inſtitutione eſſe unius maris & unius fœminæ conjunctionem.* Et poſtea: *Quod de Patribus V. T. leguntur exempla Polygamiæ, tribuatur ſane illud vel diſpenſationi Dei, vel tribuatur tolerantiæ Dei, neque enim omnibus vitiis liberi fuerunt Patres & multa in ſanctis ſuis tolerat Deus.*

§. 9. (3) Diſtinguendum eſt inter certas demonſtrationes & probabiles conjecturas. Diſpenſatio divina probabilibus quidem conjecturis & veriſimilibus argumentis perſuaderi forte poteſt, ſed apodicticis rationibus demonſtrari nequit. Incerta enim eſt tum ratione objecti, tum ratione modi, dum ratione temporis, tum etiam ratione durationis, ut demonſtrat B. Gerhard. *in loc. de Conjug. §. 224.* Hinc Bellarminus diſpenſationem affirmans toties repetit: *Probabile eſt &c.* (4) Diſtinguendum eſt circa diſpenſationem inter Dei voluntatem ac poteſtatem. Potuiſſe Deum diſpenſare circa polygamiam facile concedi poteſt, cum ſit Legis ſuæ Dominus, ſed voluiſſe diſpenſare, vel etiam ipſo actu diſpenſaſſe, non poteſt tam firmiter ac certo demonſtrari. (5) Cavenda ſunt utrinque quæſtionis extrema. Ut enim abſque inſigni piorum Patriarcharum injuria dici nequit; ipſos ob polygamiam in peccato actu mortali abſque pœnitentia & extra ſtatum gratiæ vixiſſe; Ita quoque talem polygamiæ diſpenſationem introducere, quæ peculiari Dei inſpiratione Patribus fuerit indicata, nec ſolum omnibus Hebræis, ſed etiam quibusvis gentibus fuerit conceſſa, vel etiam ſtatuere, quod polygamia in ſe ac per ſe non pugnet cum prima conjugii inſtitutione, ſed tantum cum jure poſitivo Evangelico *Matth. 19.* à Chriſto propoſito, ad alterum extremum vergit. (6) Apoſtol. *Act. 13. v. 18.* pulcherrima voce exprimit divinam tolerantiam, qua Deus erga populum Iſraeliticum uſus eſt, & Chriſtus de repudiis diſſerens emphaticè inquit: Moſen ut Legiſlatorem Politicum illud de repudio ſtatuiſſe, quod permiſerit propter

duritiem cordis, hoc ſcil. fine politico, ne quid pejus accideret. Idem ſecundum analogiam ſi quis hoc applicare velit, non multum aberraverit. Vid. ſæp. cit. Gerhard. *loc. de conjug. ſ. 224.* ubi hæc omnia exacte explicantur.

§. 10. Reſtat adhuc, ut diſquiramus, num rationi rectæ & ita conſequenter juri naturæ adverſetur polygamia. Nos Reſpondemus diſtinguendo: Jus naturæ bifariam accipi poſſe (1) ſpecialiter, quod recta ratio immediatè & per modum principii dictitat cum vi obligandi, quomodo juris naturæ eſſe dicimus, quod parentes ſunt honorandi. (2) generaliter. pro concluſionibus quibusdam, quæ ex primis illis principiis ac rectæ rationis dictamine vel proximè vel remotè fluunt. Priori modo ſi ſumatur jus naturæ, ipſi non repugnat polygamia. Promovet enim primarium matrimonii finem, ſobolis ſcil. procreationem; Poſteriori verò caſu, ſi juris naturalis appellatio amplietur & in latiori ſignificatu accipiatur, prout etiam concluſiones ex illis deductas comprehendit, concedi facile poteſt, polygamiam eſſe contra jus naturæ, officit enim cohabitationi pacatæ. Longè namque tranquillior & commodior eſt cohabitatio unius cum una & intenſior ibi atque perfectior amor conjugalis reperitur, unde polygamia etiam rectè poſtmodum prohibita eſt. Optimum namque, maximè decorum ſimulque ad quietem domeſticam accommodatisſimum eſt, unum una vivere contentum, adeoque hoc matrimonii genus ſine dubio perfectiſſimum habendum, cujus leges non minus marito, quam uxori ſanctiſſimè obſervandæ ſunt. Accedit ratio Politica apud pleroſque populos cultiores poſt genus humanum tantopere multiplicatum valens contra polygamiam, quod per liberorum multitudinem nobiles familiæ ad egeſtatem & modicæ ad mendicitatem redigantur. Vid. Puſendorf. *lib. 6. c. 1. de J. N. & G.*

CAP. II.

Cap. II.

De Moralitate prohibitionis graduum in matrimonio ejusque determinatione.

§. I.

QUia Diſpenſatio non aliter ſpectari poteſt, quam præſupposita prohibitione graduum, ideoque omnium maximè requiritur, ut judicetur, quinam gradus prohibiti ſint, ſi cognoverimus, qui iſti ſunt, ſimul intelligemus, qui ſint liciti, quia *contrariorum eadem eſt ratio. pr. Inſt. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* Cæterum fundamentum prohibitionum graduum non ſatis expeditum eſt, unde Grotius cauſas hujus rei certas & naturales aſſignare, difficile imò impoſſibile eſſe putat *de I. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 12.* Nam quod Plutarch. attulit *in quæſt. Roman.* & Aug. *de Civ. D. lib. 15. c. 16.* ſequitur, de latius ſpargendis amicitiis per diffuſas affinitates, tanti non eſt ponderis, ut, quod contra fiat, irritum aut illicitum cenſeri debeat. Neque enim quod minus utile eſt, ſtatim & illicitum eſt; Adde, quod accidere poſſit, ut huic qualicunque utilitati alia major utilitas repugnet, neque eo duntaxat caſu, quem Deus in lege Hebræis data excepit, ſed & aliis multis, qui aut conſpici ſolent, aut excogitari poſſunt. Hinc ſicut in linea recta fundamentum, cur matrimonia parentum cujuscunque gradus cum liberis prohibita ſint, *reverentiam*, quam liberi debent parentibus efficere, aſſerit Dn. Struv. *Ex. 29. th. 47.* Ita eandem rationem aſſignat Grot. *de I. B. ac P. lib. 2. c. 5. §. 12.* quando ait: *Nam nec maritus qui ſuperior eſt lege matrimonii eam reverentiam poteſt præſtare matri, quam natura exigit, nec patri filia, quia quanquam inferior eſt in matrimonio, ipſum tamen matrimonium talem inducit ſocietatem, qua*

illum

illius neceſſitudinis reverentiam excludit. In nuptiis itaque non graduum, ſed honeſtatis & reverentiæ habendam eſſe rationem, tradit Weſenb.

§. 2. Sed hanc à reverentiâ deſumtam rationem rejicit Dn. Ziegler. *ad d. l. Grot. in verbis : Reverentia debita, quod præſtari ſatis nequeat, non eſt ſufficiens cauſa prohibitarum inter aſcendentes & deſcendentes nuptiarum, hac enim ratione & nobilis Principem mulierem ſive Reginam ducere jure naturali prohiberetur; præſertim ubi præter lectum nihil quicquam illa marito ſuo communicare decreverit.* Quapropter ſubſtituit *abhorrentiam naturalem*, putatque ſufficere naturam abhorrere ab ejusmodi nuptiis, ab aliis magis, ab aliis minus. Nec enim cauſam certam dari poſſe credit, quare averſetur homo carnes ſui generis, niſi quod naturale & ingenitum ſit. Nihil enim magis indecens eſſe videtur, quam ſobolem rurſus miſceri cum eo, à quo originem ducit. Ipſa quoque natura dictitat, turpe eſſe & nefandam, cum illa conjungi, ex qua quis prognatus eſt, *L. 14. ff. de R. N.* ut etiam irrationabilia quædam animalia ab ejusmodi pollutione abhorreant, atteſtante Imperatore Juſtiniano in *Nov. 12. c. 1.* cujus rei multa ex probatis Autoribus referunt exempla Tiraquell. *in L. 7. Connub. n. 47.* Paulus Cypræus *de jur. connub. part. 2. c. 6. §. 1. n. 3.* Hocque Plinius *de Equis, Natural. hiſt. Lib. 8. c. 42.* Ariſt. *de Camelis.* Nic. Lyra *de Elephantis, in Matth. 19.* & alii de aliis confirmant.

§. 3. Zigleri ſententiam iterum Pufend. *Lib. 6. de J. N. & G. c. 1. §. 32.* rejicit & ſtatuit, quod ratio hujus rei ſit fundata in pudore, verba Ejus ſic ſe habent: *Pudor non poſtrema cauſa videtur, quare ipſo jure naturæ inter aſcendentes & deſcendentes in recta linea connubia cenſeantur prohibita, præſertim cum nullus unquam caſus extiterit, nec probabiliter exiſtere poſſit, ut ſervando generi humano eorum admittendorum neceſſitas foret.* Cui conſentit Paulus JCtus aſſerens: *in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudorem reſpiciendum, & contra pudorem eſſe, filiam ſuam uxorem ducere. L. 14. §. 2. ff. de R. N.* Deniq; Henniges *ad d. Grot. l.* diſtinguit inter cauſas primarias & ſecundarias,

darias, ita ut cauſa primaria ſit prohibitio divina, ex qua peccati ſcientia fluit, cauſa verò ſecundaria reverentia, pudor & horror juxta jam jam allegatos Moraliſtas. Naturalis namque horror atque pudor ex certa peccati ſcientia ob prohibitionem legis divinæ potius exiſtit, quam ex naturali quodam inſtinctu. Neque ante Legem promulgatam talem abominationem nobis aſſediſſe aſſerit Hennig. *cit. loc.* quod inde probat, quia Adami liberi nullum ſenſerunt internum motum, qui ipſis mutua connubia execrabilia faceret, quod tamen neceſſarium fuiſſet, ſi averſatio, quam nos hodiè ſentimus, naturalis fuiſſet.

§. 4. Et in hunc ſenſum capiendam eſſe ſuadet rationem ex Grotio jamtum citatam. Alias enim, ſi pudor ille removeretur, non adeò abſurdum eſſet, matrem cum filio ſui juris jungi, cum non repugnet, maritum uxori ob virtutem, ſapientiam aut nobilitatem reverentiam exhibere, multo magis cum obſequio conjugali etiam filialem reverentiam patri marito filia uxor exhibere poſſet, ni pudor iſte obſtaret. Illuſtrationis gratia illa, quæ *in c. ult.* §. 3. circa diſpenſationem ex B. Gerhardo adducta ſunt, conjungi poſſunt. Quod autem Socrates *apud Xenophontem lib. 4. urget*, oppido jejunum eſt, quaſi in conjugiis parentum & liberorum nihil aliud ſit culpandum præter ætatis diſparitatem, unde ſequatur aut ſterilitas aut male conformata ſoboles; Quaſi verò non ſæpius occurrant matrimonia inter tales, quorum ætas plena pubertate, ſeu tot annis diſtat, quot annis parentes liberos poſſunt præcedere. Hebræi quoque hic non tam ad naturalem rationem, quam ad interdictum Dei primævum confugiunt, ſicque tradunt, ab initio mundi ſex genera concubitus à Deo fuiſſe prohibita, idque deducunt ex verb. *Geneſ. 2. v. 24.* Selden. *de Jure nat. & Gent. juxta diſc. Hebr. lib. 5. c. 1. & 2.* Mirum tamen eſt, quod idem refert *d. l. c. 18.* ipſos crediſſe, quando Gentilis fiebat proſelytus, omnem cognationem, qua ipſe antea hominibus gentilibus per ſanguinem & affinitatem conſtrictus erat, evaneſcere. Iſta enim religionis judaicæ rece-

ptione putabant aliquem penitus regenerari, & velut infantem recens natum fieri. Unde Proſelyto jam nec mater erat, nec noverca, ſororque, idque propter vim regenerationis, per quam alter planè, velut novus homo conſtituebatur, extinctis omnibus juribus, quæ ex veteri & gentili nativitate reſultarent.

§. 5. Et hæc de moralitate prohibitionis in linea recta, videndum porro eſt de aliis gradibus conſanguinitatis in linea transverſali, nec non de affinitate. Ac ibi quidem proxime ſibi invicem ſunt juncti fratres & ſorores. Quo minus tamen horum connubia per ſe contra jus naturæ eſſe dicamus, id maximè ſuadet, quod, prout origines humani generis ſacræ nos docent literæ, inter Protoplaſtorum liberos fratres utique ac ſorores neceſſario matrimonium fuerit contrahendum. Non autem veriſimile eſt, Deum ejusmodi caſum procuraſſe, ut omninò vis legi naturæ inferatur, dum ſpeciem humanam propagari juſſit, & tamen non aliud præbuit medium, quam iſthæc connubia. Præſertim cum nulla neceſſitas Deum ſubigeret, unum duntaxat mortalium par creare, igitur ex poſitiva lege prohibitio iſtiusmodi videtur deſcendiſſe. Hebræi quidem, teſte Grot. *de J. B. ac Pac. lib. 2. c. 5. §. 13. n. 5.* ne fratres ſororibus miſcerentur, ipſi Adamo cum lege de Deo colendo, non fundendo ſanguine, non rapienda re aliena, legem datam eſſe cenſent, ſed ita ut vim ſuam demum exſereret poſt multiplicatum jam ſatis humanum genus. Neque referre putant, quod id à Moſe ſuo loco narratum non ſit, ſatis enim fuiſſe hac in lege ipſa tacite indicatum eſſe, cum gentes extraneas eo nomine damnet. Verum ſicut Hebræi non poſſunt ſolide & ſufficienter illam legem oſtendere, cum ipſimet dubii circa illam ſint, & quidam ad Adamum, quidam verò ad Noachum referant; Ita non probabile eſt, datam illam legem, ut dum demum exerceret ſuam vim diffuſo ſanguine humani generis, ut tradit Oſiander *ad Grot. lib. 2. c. 5. §. 13. obſ. 2.*

§. 6. Hinc ut excuſetur matrimonium inter fratres &

ſorores contractum, nonnulli (1) dicunt Deum diſpenſaſſe, ob quam intervenientem diſpenſationem inceſtus ratio ceſſarit. (2) Alii non tam diſpenſationem, quam neceſſitatem interveniſſe ſtatuunt, quæ fecerit, ut iſta conjugia non fuerint vitioſa, quia ex uno ſanguine Deus voluit omnes homines exiſtere. *Act.17. v.26.* Deniq; alii (3) dicunt, quod poſſit aliquid eſſe contra jus naturæ vel abſolute, vel ex hypotheſi tale. Ita quidem, ut contra jus naturæ abſolute tale non ſit conjugium fratrum & ſororum, ſed contra jus naturæ ex hypotheſi tale, poſita ſcil. multiplicatione & abundantia hominum. Hinc Auguſtin. *de Civ. D. lib. 15. c. 16. Cum genus,* inquit, *humanum poſt primam copulam viri facti ex pulvere & conjugis ejus, ex viri latere, marium, fœminarumq; conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec eſſent ulli homines, niſi qui ex duobus illis nati fuiſſent, viri ſorores ſuas conjuges acceperunt, quod profecto quanto antiquius compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente.* Vid. B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 3:3.* Licet itaque juri naturæ non adverſa videatur conjunctio fratrum & ſororum, nihilominus ceſſante neceſſitate augmentandi genus humanum, quæ olim ejusmodi matrimonia ſuaſit & toleravit, ex poſt facto fortior ratio naturalis, adſiſtente honeſtate publica, has nuptias impediit, ſicque ratiocinatio humana noluit amplius admittere, ut ii unum conſtituant thorum, qui ex eodem thoro ſunt procreati. Hinc cum Abrahamus *Geneſ. 20. v. 12.* & Iſaac. *Geneſ. 26. v. 7.* Conjugium cum Sara & Rebecca inter Gentiles, cum quibus vivebant, degere vellent, vocarunt eas ſorores, ex quo colligitur, homines aucto jam genere humano etiam illis temporibus horruiſſe conjugium cum propria ſorore, ut audito nomine ſororis ſtatim crederent, eas non fuiſſe uxores. B.Gerhard. *in loc. de Conjug. §. 30.* Pufend. *de I. N. & G. lib. 6. c. 1. §. 34.* Oſiand. *ad Grot. lib. 2. c. 5. §. 13. obſ. 3.*

§. 7. Circa reliquos gradus, qui *Lev. 18.* prohibentur, difficilius adhuc erit rationem invenire, quare iidem ipſo quoque naturali jure nuptias impedire debeant; Etſi ejusmodi

nuptiæ

nuptiæ multis quoque Gentilibus deteſtabiles fuerint. Hinc notiſſima eſt hiſtoria de Stratonice, quam Seleucus Pater filio Antiocho perdite amanti conceſſit, apud Plutarch. ubi tamen Seleucus pater dixiſſe legitur: *Quod ſi uxor ſua ab re inuſitata abhorreat, orare Amicos, ut doceant & inducant eam, ut omnia, quæ Regi videantur, & ſint ex uſu publico recta habeat & juſta.* Hebræi quidem veteres, teſte Grot. *lib. 2. c. 5. §. 13, n. 3.* duas hic potiſſimum allegant rationes, unam deſumtam à naturali pudore, qui non ſinat ortus autores ſeu parentes cum ſua ſobole, aut in ſe ipſis, aut etiam per perſonas ſanguine aut nuptiali comixtione proxime cohærentes miſceri; Sed hæc ratio licet inter aſcendentes & deſcendentes valeat, ita cum pudor inter collaterales ſaltem ultra ſecundum gradum disjunctos valde evaneſcat, ad conficiendum aliquod naturale jus in collateralibus ſufficere non videtur. Alteram rationem inde deducunt, ne quarundam perſonarum convictus quotidianus & inobſervatus ſtupris atque adulteriis anſam daret, ſi tales amores nuptiis conglutinari poſſent. Sed & hæc legi poſitivæ occaſionem dare videtur, jus naturale tamen non evincit. Quare dicendum ultra juris naturalis prohibitiones, aucto genere humano, ob innatam quaſi verecundiam homines à propinquorum conjunctionibus abſtinuiſſe, ratiocinationemque humanam inter gentes illud primum principium extendiſſe & applicaſſe ad conjunctiones in linea collaterali & ad affines in linea transverſa. Dn. Struv. *Ex. 29. th. 45.*

§. 8. Licet verò ratio prohibitionis difficilius reddi poſſit, morale tamen totum *cap. 18. Levitic.* eſſe, contra Pontificios noſtri rectè tenent Theologi, quos ſequuntur ex JCtis recentioribus Carpz. *de arbor. Conſang. diſp. 1. n. 24.* Vinn. *ad §. 6. Inſt. de Nupt.* aliive, ut hoc modo certum ſit, gradus de jure divino prohibitos non populum duntaxat Judaicum, ſed omnes omninò ſpectare homines, h. e. non ad leges forenſes ac judiciales, ſed morales referendos eſſe. Sed hac de re cum Pontificiis nobis gravis intercedit controverſia. Illi

 enim

nim totis viribus propugnant, non omnes gradus *Levit. 18.* interdictos jure morali & perpetuo contractum matrimonii impedire, ſed aliquos tantummodo ex illis hoc jure interdictos volunt, videlicet conjugium filii cum matre, Patris cum filia, fratris cum ſorore germana, fratris cum ſorore ex altero tantum parente, privigni cum noverca & vitrici cum provigna. In reliquis Eccleſiæ ejusque Præſidi, Pontifici Romano, diſpenſationem relictam eſſe volunt. Unde Innocent. 3. in primo gradu affinit. in linea transverſa diſpenſationem *juxta cap. fin. X. de divort.* interpoſuit. Quin etiam nonnulli extra Romanæ Eccleſiæ gremium conſtituti, prætextu Chriſtianæ & Evangelicæ libertatis in gradibus jure Moſaico prohibitis matrimonium contrahere, ſibi licitum eſſe arbitrati ſunt, ſicut B. Gerhard. *de Conjug. §. 290.* exemplum refert.

§. 9. Sed noſtrates Theologi, quamvis Bellarmin. ipſis multiplicem diſſenſum adſcribere velit, contra ſtatuunt, prohibitiones ſcil. graduum omnes ac ſingulas *Lev. 18.* expreſſas non eſſe mere Leviticas, ad jus poſitivum tantum pertinentes, quæ Judaicum ſolummodo populum tempore V. T. obligent, ſed eſſe juris moralis, quod Chriſtianos etiam in N. T. ſtringat, ideoque diſpenſationi humanæ in illis nullum eſſe relictum locum, hocque per varias confirmant rationes. Nam hunc in finem (1) generalem Legum Moſaicarum de prohibitis gradibus obligationem. (2) Earum cum moralibus connexionem (3) pœnam in transgreſſores harum legum ſtatutam. (4) Clauſulæ Moſaicæ adjectionem (5) Propheticam harum Legum de prohibitis gradibus explicationem & (6) earum in N. T. repetitionem tum à Johanne Baptiſta *Matth. 14. v. 4.* tum etiam à Paulo factam urgent. Accedit quod & hæ leges Moſaicæ de prohibitis gradibus cordibus gentilium inſcriptæ ſint, quod ex honeſtis aliarum gentium placitis ſufficienter conſtat, ut latius deducit B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 291. & ſeqq.* ad quem brevitatis gratia provocamus. Fruſtra igitur cum Pontificiis facit Bachov. *ad Treutl. vol. 2. Diſp. 6. th. 2. lit. E.* Nec audiendus eſt Covarruv. *qui tom. 1. p.*

2. c. 6. §. *6. n. 13.* prohibitionem in linea recta ultra vigeſimum gradum extendi non debere contendit; Multominus Cajetanus & Sanchez ſequendi ſunt, qui inter ſolos parentes & liberos primo gradu matrimonium illicitum & irritum dicunt. In caſſum denique laborat Franciſ. de Victor. *Reg. 4. p. 129.* qui quosdam gradus hic neutiquam de jure naturali prohibitos eſſe vult. Nam ſi hoc, quare terra habitatores ſuos evomuiſſe dicitur ob violatos illos gradus. Evomitio enim iſta ex conceſſione Cornelii à Lapide & aliorum eſt ſupplicium maleficii contra ipſum jus terræ & naturalem inſtinctum peccantis. Vid. Dn. Ziegler. *in Not. ad Grot. lib. 2. c. 5. §. 13.*

§. 10. Fundata hoc modo moralitate prohibitionis divinæ, ad ejus determinationem jam accedimus. Prohibitio verò juris divini commode dividi poteſt *in generalem*, & prohibitionem certorum graduum *ſpecialem*. *Generalis* proponitur *in text. Lev. 18. ab initio v. 6. in verbis: Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* Et hæc generalis regula eſt fundamentum prohibitionum ſpecialium. Ideo enim certi quidam cognitionis gradus prohibentur, quia ad carnem carnis ſive ad propinquam carnis carni meæ proximè adhærentem non eſt accedendum. *Specialis* autem prohibitio complectitur tum conſanguinitatis, tum affinitatis gradus, qui certarum perſonarum enumeratione exprimuntur. In jure Canonico perſonæ, quarum in prohibitione illa divinæ legis fit mentio, comprehenduntur his verſiculis:

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxorisq; ſoror, privigni nata, nurusq;
Atq; ſoror patris conjungi Lege vetantur.

Numerantur ibidem tredecim perſonæ, ſed in Levit. ſedecim proponuntur, ſeptem in conſanguinitate (1) mater (2) ſoror ex utroque parente. (3) Soror ex altero tantum parente. (4) Neptis ex filio (5) Neptis ex filia. (6) Soror Patris, amita. (7) Soror matris, matertera. Novem in affinitate ut (1) uxor patris,

patris, noverca. (2) Uxor patrui (3) Uxor filij ſeu nurus (4) uxor fratris. (5) Uxoris mater ſeu ſocrus (6) privigna ſeu filia uxoris, nata ex priori marito. (7) Filia privigni (8) filia privignæ (9) Soror uxoris. Alii plures adhuc enumerant perſonas, non ſolum enim eas, quarum expreſſa fit mentio, recenſent, ſed etiam conjungunt eas, quæ per conſequentiam prohibitæ intelliguntur. Sed hac de re poſtea dicendum erit.

§. II. In ſpecie ut divinæ legis prohibitiones percurramus, nimis prolixum foret, B. tamen Lectorem, qui plura deſiderat, ad B. Gerhard. *loc. de conjug.* remittimus, *ubi §. 226. & ſeqq.* omnia latius explicata inveniet. Sufficiat ex enumeratione præmiſſa ſequentes formare Regulas. (1) In linea recta inter aſcendentes & deſcendentes de jure divino prohibita ſunt matrimonia in omnibus, quotquot numerari poſſunt gradibus, hæcque regula colligitur ex texto *Levit. 18. v. 7.* Poſtquam enim Moſes hoc ipſum *d. loco* quaſi pro regula ponit & poſtea declarando enumerat certas perſonas, in linea recta aſcendentium & deſcendentium vetat omnia conjugia, licet ibi tantum enumerentur pater, filius & nepos. Appellatione enim filii debent intelligi omnes ulteriores deſcendentes in infinitum, cum omnes ſint in numero liberorum. Omnes enim hi parentum ac liberorum numero ſunt. *L. quiq; litigandi 4. §. parentem. 2. ff. de in jus voc.* Cum ergo Moſes dicit, turpitudinem patris non eſſe revelandam, illud non tantum intelligendum eſt de proximis parentibus & liberis, ſed de tota recta linea conſangvinitatis ſive aſcendendo ſive deſcendendo. Ut enim non licet filiæ nubere patri, ita non licet nubere avo, non proavo, non abavo, & ſi quis ultra hunc in eadem recta linea ſuperſtes eſſet. Et ut non licet patri ducere filiam in uxorem, ita nec neptem, nec proneptem nec abneptem. Qui enim ex gradu aſcendentium & deſcendentium vel proximorum ſanguine junctorum uxorem duxerit, omnium flagitiorum flagitioſiſſimum committit, uno verbo nefarias ſive inceſtas dicitur contrahere nuptias. Diſtinguunt quidem Gloſſographi & Interpretes nuptias nefarias

ab

ab inceſtis, ut ſint nefariæ, quæ inter aſcendentes & deſcendentes, ſive inter parentes & liberos contrahuntur, inceſtæ v. quarum ex latere ſive ex transverſo conjuncti in vetitis gradibus autores ſunt, itemque affines; Tamen diſtinctio hæc vel inde corruit, quia nefariæ ac inceſtæ nuptiæ ab Imperatore Juſtiniano promiſcuè ponuntur & confunduntur in *§. ergo non omnes 1. Inſt. de Nupt. & Nov. 12.* nec multum utilitatis ea diſtinctio habet, poſtquam nuptiæ nefariæ pariter ac inceſtæ ſunt inutiles & illicitæ. *t. t. C. de inceſt. & inut. nupt.*

§. 12. Altera regula eſt, quod in linea collaterali prohibita ſint matrimonia in gradu primo lineæ æqualis de jure divino, & hæc patet ex text. *Levit. 18. v. 9.* Hinc & eodem jure nuptiæ inter conſobrinos contrahi poſſunt, puta inter fratrum & ſororum liberos, ſiquidem nullibi verbis expresſis prohibentur, nec ſententia vel ratione *Lev. 18. & 20.* comprehenſæ ſunt, quia conſobrinus neque ex mea, neque ego ex ipſius, neque ex una ambo prognati ſumus carne. Et hanc permiſſionem juris divini exempla ſacri Codicis haud obſcurè innuunt. Jacobus enim duxit uxores Rachaelem & Leam filias avunculi ſui Laban, qui frater erat Rebeccæ matris ipſius Jacobi. *Geneſ. 29.* Sic etiam Tobias junior uxorem duxit conſobrinam ſuam Saram, filiam Raguelis, qui majoris Tobiæ frater erat. *Tob. 7.* ut meritò ſcripſerit Athanaſius: *Hâc occaſione mandatum Domini datur, & lex ponitur, qua pro legitimis decernuntur cum conſobrinis inita conjugia.* Treut. *vol. 1. diſſ. 6. th. 2. lit. C.* Quod autem primi homines, cum aliæ mulieres, niſi qui ex illis duobus Adamo ſc. & Eva nati, non extarent, ſorores ſuas duxerint, id factum, ut antea monitum, compellente neceſſitate, poſtea tamen aucto genere humano extitit damnabilius religione prohibente. Hinc de pœna violatæ hujus legis corporali loquitur Moſes *Lev. 20. v. 17.* cum ait: *Si quis duxerit ſororem ſuam filiam patris ſui, ſive ex uno, ſive ex utroque latere ſibi junctam, domi vel foris genitam, id eſt, legitimam ſive vulgò quæſitam, occidetur in con-*

D ſpectu

ſpectu populi, pœnam iniquitatis ſuæ portabit. De pœna vero ſpirituali agit *Deut. 27. v. 22.* in verbis: *Maledictus qui dormit cum ſorore ſua.* Et has pœnas graviores gentes libidini addictiores neglexiſſe certum eſt. Hinc apud Herodotum *L. 3. legimus*, Cambyſen Regem Perſarum Sororis ducendæ deſiderio ductum, ex regiis Judicibus quæſiviſſe, num lege id matrimonium concederetur, eosque veritos, ne Regis in ſe iram concitarent, reſpondiſſe: *Illud quidem legibus expreſſe non permitti, at alia lege conſtitutum eſſe, ut Regi liceret quicquid liberet*; ſed Tyrannica non juſta libertas eſt, quæ cum matre Neronis ita loquitur: *Si libet, licet.*

§. 13. Tertia regula eſt: In linea collaterali inæquali inter eos, qui parentum & liberorum loco ſunt, de jure divino matrimonium prohibitum eſt, quæ regula *ex text. Levit. 18. v. 12.* colligitur. Non enim perſonæ ſolum, quæ ibi narrantur, ſed & ſimilis reſpectus inſpiciendus eſſe videtur, ita ſcil. ut quæ perſonæ eodem plane modo ſibi ſunt junctæ, quo ibi enarratæ, etiam prohibeantur inter ſe matrimonium contrahere. Quo faciunt præmiſſa de conſanguinitate verba generalia. *d. Levit. 18. v. 6.* Beult. *de matrim. p. 2. c. 51.* Ameſ. *de Caſibus. Conſc. c. 35. n. 17.* Ultima Regula eſt: Quæ prohibitio valet in conſanguinitate, eadem etiam obtinet in affinitate. Hinc ratione affinitatis prohibentur nuptiæ inter perſonas, quæ parentum & liberorum loco ſunt, ſeu, quæ alterius conjugis ſunt aſcendentes vel deſcendentes in linea recta. *Levit. 18. v. 8. 15. 17. Deut. 27. v. 20. 1. Cor. 5. v. 1.* it. quæ ſe habent, ut frater & ſoror. *Lev. 18. v. 16. 18. 20. & 21.* Præterea, quæ conjugi defuncto aut defunctæ in linea collaterali loco parentum aut liberorum fuerunt. Et hoc communiter Dd. ad omnes affines perſonas, quæ ſe ita habent, extendunt, per text. *Lev. 18. v. 14.* Alii verò non ita ſimpliciter ac in genere inter hujusmodi affines prohibitas eſſe nuptias ſtatuunt, cum de aliis affinitatibus plura exempla proponantur, ex quibus generalitas prohibitionis colligi poſſit; De hujusmodi verò affinitate ſolum inveniatur hæc unica prohibitio, ne quis patrui

trui ſui uxorem ducat. Unde extra hunc caſum matrimonium de jure divino permiſſum eſſe ſtatuunt, ita ut viduus cum defunctæ uxoris ſororis filia matrimonium contrahere, & quis avunculi ſui relictam viduam in uxorem ducere poſſit. Dn. Richter *p. 1. Dec. 11. n. 7. & ſeqq.*

§. 14. Hinc graviſſima exſurgit quæſtio: An prohibitio *Lev. 18.* propoſita non ad perſonas tantum ibidem expreſſe nominatas, ſed & ad gradus pertineat. Multi τῷ ῥητῷ Moſaico unice ſtandum eſſe exiſtimant ac gradus ultra perſonas nominatim expreſſas per analogiam extendendos eſſe negant. Quare Dn. Pufend. *lib. 6. c. 1. §. 36.* in medio dicit: *Quanquam plurimi d. l. Levit. non perſonas, ſed gradus prohibitos eſſe aſſerant; quorum rationibus tamen fortaſſe non deeſt quod reponi poſſit &c.* Et hac hypotheſi nonnulli quoque Pontificii utuntur, quorſum etiam certo modo inclinat Grot. *lib. 2. de Jur. B. ac P. c. 5. §. 14.* ut ex ſeq. apparebit. Verum non ad illas tantum perſonas, quarum apud Moſen expreſſa fit mentio, prohibitionem illam referendam & coarctandam, ſed & ad reliquas, quæ in æque propinquis gradibus reperiuntur, dilatandam atque extendendam eſſe, B. Gerhard. *in loc. de Conjug. §. 275.* variis confirmat rationibus. Quapropter urget (1) prohibitionis generalitatem in verbis: *Nullus ad carnem carnis ſuæ accedat,* quibus verbis in genere prohibentur nuptiæ cum propinqua conſanguinea it. cum ea quæ propter commixtionem cum conſanguineis facta eſt carnis caro, & eſt proximi gradus affinitatis. (2) rationis paritatem, Moſes namque in ſua computatione pro exemplo prohibitionis adducit marem & deſcribit fœminas, à quarum conjugio quis abſtinere debet. Pari igitur ratione κατ᾽ ἀναλογίαν ad fœminam applicari poteſt, à quorum conjugio illa ſibi temperare debeat. (3) Conſequentem abſurditatem, ſi enim perſonas tantum, quarum expreſſa in lege Moſaica fit mentio, non autem æque diſtantes gradus prohibitio illa concerneret, nuptiæ forent conceſſæ inter nepotem & aviam, inter avum & proneptem &c. quia talium perſonarum non fit expreſſe in

hiſce LL. mentio. (4) Veterum autoritatem, ubi Patres & Rabinos in teſtimonium vocat. Conſentit Schneidevv. *ad tit. Inſt. de Nupt. rubr. in quib. grad. jus divin. prohib. matrim. contrab. n. 16.*

§. 15. Et hanc ſententiam approbat quoque Carpzov. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 76. n. 3. & ſeq.* ubi tradit, quod non tantummodo prohibeantur nuptiæ perſonarum, quæ nominatim *Levit. 18. c. 20.* exprimuntur, ut forſan aliquando ſenſit B. Luther. *tom. 2. Germ. Jenenſ. fol. 152.* Sed etiam omnium perſonarum, quæ in pari ſeu æquali aut viciniore ſunt gradu; ne abſurditatis ſanctiſſimum Nomothetam arguamus, ſi liceret patri ducere filiam, vel nepti ducere aviam, quia harum perſonarum conjunctio expreſſe non eſt interdicta. Proinde Deum non tam ſeriem verborum, quam propinquitatem carnis obſervatam voluiſſe, tradit. Hinc in Conſil. B. Richter *vol. 2. Conſil. 15. n. 14.* dicitur: Und iſt der Theologorum bewehrter einhelliger Schluß / daß nicht allein die conjunctiones, welche am ſelbigen Orte expreſſis verbis exprimiret / verboten ſeynd / ſondern auch dieſelbe / welche in gleichem Grad ſtehen / juxta Dd. quos refert Carpz. *in Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 1. def. 76. n. 4. 5.* welche Meinung auch der theure Mann GOttes Lutherus, revocans priorem ſuam ſententiam, approbavit in libello *de cauſ. matrim. A. 1530. edit. tom. 2. Jen. fol. 257.* wornach die geiſtl. Conſiſtoria Reformatorum in pronunciando ſich richten / teſte Schneidvv. *ad Inſt. tit. de nupt. rubr. in quib. grad. jus divin. prohib. matrim. contrab. n. 16.* Carpz. *in Pr. crim. part. 2. q. 73. n. 17. & ſeqq.* Hactenus Dn. Richter.

§. 16. Unde ſufficienter conſtare videtur, *c. 18. Levit.* non illas tantum perſonas prohiberi, quæ nominatim ibidem exprimuntur, ſed & omnes reliquæ, quæ in pari ſeu æquali ſunt gradu, eo quod reductive inter illas contineantur, de quo modo reductionis eleganter Chemnit. *loc. de Conjug. p. 224. agit.* Quod ſi etiam integer context. *Levit. 18.* à capite ad calcem attendatur, apparebit, perpetuum illic contineri mandatum, ut loqui ſolemus, pœnale. Ab initio enim præmittitur

titur generale quoddam exordium in verbis : *Ego Dominus Deus veſter juxta conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis &c.* poſtea recenſentur conſuetudines pravæ & juri naturali adverſæ. Tandem ſequitur ſanctio prorſus generalis & magna cum emphaſi aliisque verbis ſæpius iterata. Dn. Ziegler. *ad Grot. lib. 2. c. 5. §. 14.* Et hæc, quæ de linea recta, ut & fratrum & ſororum connubiis dicta ſunt, quod ſcil. ob paritatem rationis etiam ad alias non denominatas perſonas extenſionem admittant, ipſe quoque Grot. *lib. 2. c. 5. §. 13. n. 4. & 7.* concedit, adeò ut ſub fratribus & ſororibus tam agnatos, quam cognatos ejus gradus, ſive foris ſive domi natos atque educatos, comprehendi fateatur. Sed hanc manifeſtam expreſſionem diſcrimen inter hos & alios remotioris gradus inducere putat. Hinc concludit: *Legem de non ducendis affinibus recti gradus & ſororibus, ex quo multiplicari cæptum eſſet genus humanum, eſſe perpetuam & hominibus communem, ut quæ honeſtati naturali nitatur, ita ut & irritum fiat, ſi quid factum ſit adverſus hanc Legem ob vitium permanens, cæteras Leges non item, ut quæ cautionem magis contineant.*

§. 17. Et hoc ſuum aſſertum probare vult Grot. (1) ex Canonibus Apoſtolorum, per quos is, qui duas ſorores alteram poſt alteram duxit, aut fratris & ſororis filiam tantum à Clero arceatur; Sed ſuppoſitios iſtos Canones eſſe & ſequioris ſeculi ſcriptum jam diu monſtrarunt ex noſtris B. Gerhard. *lib. 1. de Confeſſ. Cathol. p. 2. c. 6.* Hinc & multi ex Pontificiis illos ad apocrypha referunt, præcipue cum neque de numero, neque de authore, neque de auctoritate horum canonum hactenus aliquid liquidi potuerit etiam ex Pontificiis Scriptoribus, qui alias multum ipſis tribuunt, haberi. (2) Grotius peccatum Cananæis imputatum ad præcipua ejus capitis membra reſtringit; Aſt univerſalis locutio, ut ex antecedentibus patet, hanc reſtrictionem ægre admittit (3) ſuam ſententiam probat ex eo, quod Jacobus habuerit duas ſorores, atque Amramus Jochebedam duxerit *Ex. 6. v. 20.* Verum in Jacobi exemplo multa occurrunt ſpecialia, Nam ſororem alteram per fraudem

 ſibi

ſibi ſuppoſitam jam cognoverat, alteri fidem dederat; Illam dimittere non poterat, neque etiam hanc deſerere voluit. Retinuit igitur utramque, accedente ſine dubio divina diſpenſatione, uti poſt B Gerhard. *in loc. de Conjug.* docet Dn. Zigler. *ad Grot. cit. loc.* Exemplum Amrami quod concernit, reſpondet Dn. Oſiander *in not. ad Grot. d. l. obſ. 1.* Tandem producit *Canonem Eliberinum 60.* ſed autoritas Concilii Eliberini ſive Eliberitani nihil facit, cum Pontificii ipſi, quorum cauſam haud raro agit Grot. non ſatis conveniant, quid ei tribuendum ſit. Præterea Canoni Elibertino Concilium Antiſiodorenſe, quo contrarium cautum eſt recte opponitur. vid. Binn. *tom. 1. Concil.* Barthol. Caranz. *in Recenſ. Canon. huj. Concil.* Dn. Oſiander *in Not. ad l. 2. Grot. c. 5. §. 14.* & Dn. Zigler. *ad eund. loc. in not.*

§. 18. Quamvis itaque argumenta pro Grot. facientia hoc modo reſolvi poſſint; Nihilominus adhuc hodie multi JCti non ſimpliciter & in genere matrimonium quoad affinitatem de jure divino in linea collaterali prohibitum eſſe ſtatuunt, ſed tantummodo ſpecialiter hoc unico caſu, ne quis patrui ſui uxorem ducat, cum de hujusmodi affinitate hæc unica ſolummodo inveniatur prohibitio. Unde cum aliis *in cit. Levit. text.* non expreſſis affinibus matrimonium de jure divino nequaquam prohibitum eſſe aſſerunt. Et ex hoc principio fluit, quod in nonnullis caſibus à quibusdam Facultatibus Juridicis diſpenſatio denegetur, in quibusdam vero concedatur, ut ex *cap. ſeq. de diſpenſationis objecto* apparebit, ad quorum ſolidiorem cognitionem hæc omnia neceſſario præmittenda fuerunt. Vid. Dn. Richter *vol. 2. conſil. 15. per tot.* & Bechſtad. *alleg.* à Dn. Struv. *Ex. 29. th. 38.* Nam niſi prohibitionis divinæ exactam habeamus cognitionem, de diſpenſatione, quæ eatenus ceſſat, nihil utiliter proponi poterit. Hæc itaque de prohibitione juris divini ſufficiant.

§. 19. Miſſa prohibitione gradaum juris divini deſcendimus ad prohibitiones humanas, ſequemur autem præfixum à nobis prius ordinem, ut de conſanguinitate primum, poſtea

de

de affinitate dicamus; Quoad conſanguinitatem itaque de Jure Civili inter aſcendentes & deſcendentes eadem regula, quæ jure divino præſcripta, obſervatur. *§. 1. Inſt. de nupt. L. 53. L. jure gent. ult. ff. de R. N. L. nemini 17. C. eod.* Inter illos quoque, qui ex transverſo gradu cognationis junguntur, ſimilis obſervatio eſt in jure civili, ut in divino. Sane enim inter fratrem & ſororem nuptiæ ſunt prohibitæ, ſive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, ſive ab altero eorum. *§. 2. Inſt. L. 14. §. 2. L. 54. de rit. nupt. L. 35. §. 1. de V. O.* Econtra inter conſobrinos nuptiæ quoque legitimæ ſunt, per *L. uter ex fratribus 23. & ſeqq. ff. de cond. inſt. L. celebrandis 19. C. de Nupt. L. ſi nepot. 3. ff. de R. N. L. condit. 2. C. de inſt. & ſubſt. §. 4. Inſt. de Nupt.* Ulteriores autem collaterales quod attinet, interdictæ ſunt nuptiæ cum iis perſonis, quæ parentum ac liberorum loco habentur. *§. 3. Inſt. de N. L. 39. ff. d. R. N. L. ult. C. de inceſt. nupt.* Tales autem ſunt, quæ poſt parentes proximum inter collaterales obtinent locum, quarum ſcil. alter proximè ſubeſt ſtipiti. Quibus verò gradibus nuptiæ prohibitæ ſunt ratione cognationis, iisdem quoque prohibitæ intelliguntur ratione affinitatis. *c. 1. c. pen. X. de conſang. & affin.* ſcil. inter eos, qui parentum & liberorum loco ſunt. *L. 39. de R. N. L. 4. §. 4. ff. de grad. §. 6. 7. Inſt. de nupt.* it. qui ſe habent, ut frater & ſoror. *L. 5. L. 8. C. de inceſt. nupt.* videlicet ſicut non licitum eſt conjugium inter fratrem & ſororem, ita nec inter conjugem & alterius conjugis fratrem & ſororem; Aſt quemadmodum inter conſanguineos patrueles & conſobrinos nuptiæ de hoc jure licitæ ſunt. *§. duorum 4. I. de Nupt.* ita quoque inter affines impropriè ſeu populariter ita dictos, ut mariti filius ex alia uxore & uxoris filia ex alio marito, vel contra, matrimonium de jure civili rectè contrahant *per tx. in §. 8. Inſt. de nupt.* ulterius non reperitur inter affines prohibitio jure civili. Licita igitur conjunctio erit cum avunculi patrui vidua. Sand. *dec. Friſc. lib. 2. tit. 1. def. 1.*

§. 20. De jure Canonico inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum. *can. progenitem 16. c. de conſang. 17. c. in*

copu-

copulatione 18. *c.* 35. *queſt.* 1. Inter collaterales conſanguineos verò matrimonia uſque ad quartum gradum incluſive, qui ſecundum computationem civilem eſt octavus, prohibentur, ratio videri poteſt apud Dn. Struv. *Ex.* 29. *th.* 39. quæ prohibitio multis in locis non obſervatur. Unde Mores hodiernos quod attinet, inſpiciendæ ſunt cujusque loci Ordinationes Eccleſiaſticæ, in quibus recte Principes ultra juris divini prohibitionem matrimonia quædam interdicunt. In linea recta quidem conveniunt omnia jura, ut inter aſcendentes & deſcendentes, qui ſibi invicem parentum liberorumve loco ſunt, contrahi nuptiæ haud debeant nec poſſint. In linea collaterali æquali de jure poſitivo, quod in noſtris Eccleſiis & foro Saxonico obſervatur, prohibitæ ſunt nuptiæ in gradu ſecundo lineæ collateralis æqualis, adeoque inter patrueles & conſobrinos conſiſtere nequeunt, ut & in gradu tertio lineæ collateralis inæqualis. Hinc quamvis jus Canonicum usque ad quartum gradum incluſive matrimonium prohibeat, multis tamen in locis, præcipue apud Proteſtantes, non obſervatur. Unde Conſtitutionibus Superiorum cautum eſt, ut in tertio gradu lineæ æqualis computationis Canonicæ conſanguinei matrimonium contrahere poſſint, & prohibitio ſeſe extendat ſaltem ad gradum eundem lineæ inæqualis. Harprecht & Heig *ad §.* 2. *Inſt. de Nupt.* Et hoc in Marchia Br. Ducatu Würtembergenſi, Sleſvvicenſi & Anhaltino, Hennebergico Comitatu, nec non in Saxoniæ Provinciis ita obſervatur, ut cum multis alleg. Dd. teſtatur Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad Inſt. lib.* 1. *Eclog.* 63. Quandoque etiam ultra tertium gradum cognationis in linea collaterali prohibitum eſt matrimonium inter perſonas, quæ ſibi ſunt parentum & liberorum loco, etiam in quarto gradu. Non enim hic gradus, ſed ratio & reſpectus paternus conſideratur, ut non magis cum eis, quam cum Parentibus licitum ſit contrahere matrimonium. Dn. Hahn. *ad VVeſenb. de Rit. Nupt. n.* 4. Dn. Carpz. *lib.* 2. *Juriſpr. Conſiſt. def.* 77. In affinitate denique etiam de moribus noſtris eſt eadem graduum computatio, eademque matrimonii prohibitio,

bitio, quæ in conſanguinitate. Ex quo enim Affinitas ſimulacrum quoddam conſanguinitatis eſt, merito & lineæ & gradus conſanguinitatis ei accommodantur, ita ut licet nulla exiſtat ſpecialis graduum computatio in affinitate, juxta computationem tamen conſanguinitatis etiam affines numerentur. Hinc & in Affinibus obtinet, quod in foro Saxonico & plerisque aliis Imperii noſtri locis, præcipue in territoriis Reformatæ Religionis, nuptiæ usque ad tertium quoque gradum lineæ inæqualis inter eos prohibeantur. Vid. Schultz. *de arb. conſangv. & affin. c. 3. membr. 1. n. 65.* Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 45.*

Cap. III.

De Cauſa Diſpenſationis efficienti ejusque forma & effectu.

§. 1.

PRæſuppoſita prohibitione ejusque moralitate, jam ipſa diſpenſatio matrimonialis juxta ſuas cauſas cognoſcenda erit. Dependet autem hæc diſpenſandi poteſtas à Superioritate territoriali; Unde non cuivis magiſtratui, ſed ei ſolummodo, qui regalia habet, competit, præprimis Imperatori, qui omnium dignitatum, Magiſtratuum & jurisdictionum fons atque origo eſt. Kirchner. *de Rep. p. 22.* Knichen. *de Jur. territor. c. 2. n. 11. & de privil. Saxon. c. 1. n. 13.* Nec eſt, quod de ſolo Imperatore hoc dictum exiſtimes. Sicuti enim ex Oceano flumina fluere dicuntur, ita ab Imperatore omnis poteſtas atque jurisdictio in alios per inveſtituras, conceſſiones, confirmationes & alios actus transfertur. Quare licet ſolus Imperator adhuc hodie det & confirmet privilegia Principibus, aliisve conceſſa. Aur. Bull. *t. 8. & 11. L. 1. § fin. L. 3. ff. de Conſt. Princ.* Tamen is, cui regalem conceſſit dignitatem ac poteſtatem, in provinciis & diſtrictibus ſuis eandem habet pote-

ſtatem, quàm Imperator in univerſo Imperio. Bornit. *de Majeſt. c. 14.* Hinc & Princeps ſive Superior regalibus gaudens poteſt diſpenſare contra jus commune & confirmare actum de jure poſitivo invalidum. Poſtquam enim Regalia in certa provincia jure Superioritatis territorialis per inveſtituram feudalem Principibus conferuntur, ſtatim eodem jure ſuis in provinciis Principibus conceſſa eſt diſpenſandi poteſtas, ut inter perſonas cognatione vel affinitate junctas in gradibus, non jure divino, ſed civili ſolum ſive Eccleſiaſtico prohibitis matrimonia permittere poſſint.

§. 2. Hinc diſpenſatio contra LL. poſitivas inter jura Principis refertur. Theod. Reinking. *de Regim. Sec. & Eccleſ. lib. 2. claſſ. 2. c. 12.* ut fas ſit Principibus in gradibus jure civili ac municipali prohibitis diſpenſare, ſi hoc ipſis rationabile videatur. Nec enim Magiſtratus ac Principes propriis ligantur legibus, qui jure poſitivo dicuntur ſoluti. *L. 31. ff. de LL. Nov. 105. c. 2. l. 14. §. 1. ff. de manumiſſ. L. 3. C. de quadr. præſcrip. L. 26. C. de donat. inter vir & uxor.* Legibus quidem naturæ Gentium & fundamentalibus Reipubl. non ſunt ſoluti, ſed civilibus, ita ſcil. ut ſunt civiles, quod eleganter poteſt probari *ex §. ult. Inſt. quib. m. teſt. inf.* ubi Divus Severus & Antoninus teſtantur, ſe LL. ſolutos eſſe; Et hoc extra dubium verum eſt, ſi poteſtatem Principum inſpiciamus, nullum enim adeſt Principium quod ipſos obliget, nec L. ſibi ſed ſubjectis præſcripſerunt, ipſi non poſſunt eſſe ſimul Superiores obligantes, ac inferiores ſubjecti atque obligati. Atque hinc diſpenſatio contra LL. poſitivas inter jura principum refertur, ut unusquisque Princeps ſuis reſcriptis juri huic ex certa cauſa derogare Legisque gratiam facere poſſit. Zaſ. *ad L. Princeps n. 12. in fin. ff. de LL.*

§. 3. Sicut enim prudentes & eruditi Medici non eadem omnibus ægrotis, ſed alia aliis, atque adeò contraria plerumque pharmaca applicant; Sic Sapientes Legum conditores debent Leges ipſas ad uſus & mores hominum (qui varii ſunt & incerti) adaptare & accommodare perſonarum, cauſæ, loci, temporisque ſemper habita ratione, *arg. L. Pomponii*

ponii 9. de neg. geſt. L. nonnunq. 72. ff. de judic. quarum rerum neceſſitas præſepè juſtam notandæ legis occaſionem præbet, Coraſ. *de jur. civ. in art. reg. lib. 1. c. 3.* In jure enim municipali & legibus poſitivis auctoritas Principis & Legislatoris ex probabili & juſta cauſa interpoſita pro ratione eſt, arg. *L. puto. 6. junct. L. 1. §. initium ff. de poſtul.* Sufficitque ſi dicat, hoc juſtum eſſe arbitramur, *ut ex Franciſc. de Scal.* dicit Bald. *ad dict. L. 1.* Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 125. n.* 4. Patet hinc non indifferenter quibusvis Magiſtratibus & judiciis, ſed ſupremis tantummodo diſpenſationem relinquendam eſſe. Hinc in Electoratu Saxoniæ non in omnibus Conſiſtoriis cauſa diſpenſationis tractatur atque decernitur, ſed ſoli Conſiſtorio Supremo poteſtas hæc reſervata eſt. Hoc enim Electorem Sereniſſimum repræſentat, cumque Senatu Eccleſiaſtico ita coadunatum eſt, ut quandoque ipſe Elect. Sax. per hoc Conſiſtorium poteſtatem ſupremam exerceat. Carpz. *d. l. n. 5.* Quare ne Conſiſtoriales inferiores hac in re quicquam ſtatuerent, Elector conſtituit, inq; provinciis ſui Electoratus diſpenſationem ſibi vindicavit & præcepit, ut ad Celſitudinem ipſius prius referrent & reſolutionem expectarent, *in Ordin. Eccl. ſub Rubr.* Von beyden Conſiſtoriis zu Leipzig und Wittenberg. § 8. in verbis: Wann auch in Eheſachen bey denen Conſiſtorien ümb diſpenſation angeſuchet würde / ſollen ſich die Conſiſtorialen derſelben nicht mächtigen / ſondern ſolches iederzeit an uns gelangen laſſen / und unſers fernern Beſcheids darauff erwarten. Conſen it. Dn. Richter / *qui deciſ. 12. n. 20.* de diſpenſatione tradit, quod à ſuperiore Magiſtratu impetranda ſit. Hinc *in Collegio Jurid. Jenenſ. Menſ. 7bri A. 1622.* ad requiſitionem des Gräfl. Schwarzb. verordneten Conſiſtorii zu Franckenhauſen pronunciatum fuiſſe afferit, quod Conſiſtorium non poſſit diſpenſare.

§. 4. Et ita nullum dubium ſupereſt, quin Princepes ac Superiores in gradibus jure poſitivo prohibitis diſpenſare & matrimonia permittere queant, verum inſanientium potius, quam Juriſprudentium loquela eſt eorum, qui aſſerunt

Principem pro lubitu contra jus omne diſpenſare & quadrata rotundis mutare poſſe, ut *ex Valaſc.* refert Sixtin. *de regal. lib. 1. c. 5. n. 5.* Non properent igitur Superiores ad diſpenſandum, ſed parci ac difficiles hac in re ſint, præſertim in gradu, qui divinitus prohibito gradui eſt proximus, videlicet in ſecundo lineæ æqualis gradu, quin & in conſanguinitate diſpenſatio fiat rarius, quam in affinitate, ut bene monet B Gerhard. *in loco de Conjug. §. 346.* Verendum enim, ne ex frequentiori venia ac conceſſione matrimonii in gradibus prohibitis diſpenſatio fiat diſſipatio boni ordinis ac honeſtarum legum, ut ſcribit Bernhardus *lib. 3. de conſ. ad Eugenium.* Quod benè animadvertit Saxo Sereniſſimus in Edicto ſub dato Dresdæ 31. Maji A. 1625. quando ait: Und ob zwar ein ieder wohl Gelegenheit haben kan / da er nur ſelbſt Luſt darzu hat / ſich alſo zu verehligen / daß es der Verwandnüß nicht zu nahe / noch unſern Ordnungen zu wieder iſt / dahero es auch keiner Diſpenſation bedürffte / geſtalt wir dann am liebſten ſehen / daß ſolche gantz verbleiben möchten &c. Quâ de causâ crebiorem diſpenſationem Sereniſſimo Electori diſſvadere, neceſſarium duxit Conſiſtorium Supremum in literis ſub dato 4. 8br. An. 1603. in quibus hæc leguntur verba: Wann aber in E. Churf. Gnaden publicirten Kirchen-Ordnung die Ehe im andern gleichen Grad der Schwägerſchafft verboten / und Supplicant keine erhebliche Urſachen deßwegen anziehen können / E. Churf. Gnaden auch wir unterthänigſt hiermit berichten müſſen / daß die Eheverlöbnüſſen unter dem gemeinen Mann in ſo naher Schwägerſchafft ſehr einreiſet / und man ſich faſt deroſelben gnädigſten diſpenſationen mißbrauchen will. So wird auch dieſer caſus nebens dem vorigen E. Churf. Gnaden zu dero fernern gnädigſten reſolution von uns unterthänigſt heimgeſtellet / ob ſie ihres Theils Supplicanten von ſeinen Suchen wollen abweiſen laſſen &c. Nimirũ quia hodiè genus humanum tam latè propagatum in familias innumeras ac infinitas excrevit, ita ut nunquam non nupturientes pro lubitu & ad ſatietatem conjuges ſibi eligere queant, non opus eſt à ſanctitate bonarum legum recedere, &

con-

contra jus poſitivum dispenſare, præprimis weil jeder Bauer ſich der gnädigſten Diſpenſation bewerben will.

§. 5. Porrò non ſolet decerni diſpenſatio absque certâ pecuniæ mulcta, quam ſolvere tenentur nupturientes ac diſpenſationem petentes. Prudenter omninò, ne facile pro impetranda venia Principes vel Superiores compellent, quin potius pecuniæ amantes à petito hoc abſtineant. Diſpenſationis itaque pecuniam ſive mulctam ſive vectigal appellitare quis velit, non multum aberraverit, poſtquam vectigalia, quæ ad conſervandam publicam honeſtatem imperantur, juſtiſſima cunctis videntur, atteſtante Joh. Bod. *lib. 6. de Republ. c. 2.* & Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 125. n. 9.* Nonnulli quidem nupturientes eò audaciæ progrediuntur, ut licet pecuniam vel mulctam diſpenſationis ſolvere nolint, aut paupertate ſuppreſſi nequeunt, à nuptiis tamen in gradibus jure poſitivo prohibitis haud abſtineant, ſed ſponſalia contrahant publica, etiam ante impetratam diſpenſationem, confidentes, re non amplius integra diſpenſationem etiam absque ulla mulcta obtentum iri, ſed profectò fallere ſatagentes Magiſtratum ſe ipſos maximè fallunt ac decipiunt, tantumque abeſt, mulctam diſpenſationis eos effugere, ut & ultra hanc pœna carceris arbitraria iis imponatur, & quidem rectè, ob regulam Juris certiſſimam & omnibus ferè probatam, quod plura delicta, non unica, ſed pluribus plecti debeant pœnis, *per tx. manifeſtum L. nunquam plura. 2. ff. de privat. delict.* Singulis namque delictis ſingulæ competunt pœnæ. *L. 27. L. 47. ff. ad L. Aquil.* Quin & ob multiplicationem delictorum pœna ſemper augenda & multiplicanda eſt. *L. capitalium 28. §. ſolent ff. de pœn. Malitiis enim non eſt indulgendum. L. 38. ff. de re vind.* Nequaquam ergo ab exſolutione pecuniæ diſpenſationis ſe liberabunt, qui nuptias in gradu prohibito ante impetrationem veniæ contrahunt, quin potius pœnæ arbitrariæ obnoxios ſe reddunt, præter quam adhuc mulctam diſpenſationis ſolvere tenentur, ita ut altera alteram non conſumat pœna, per tradita Carpzov. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 128.* Si verò perſonæ diſpenſationem

tionem deſiderantes tanta premantur paupertate, ut media ſolutionis planè deficiant, tunc remiſſa diſpenſationis mulctâ carceris diuturnioris deſponſatæ perſonæ afficiuntur pœna. Nam qui non habet in ære, luat in corpore. *L. ſi quis id 7. §. in ſerv. 3. ff. de jurisd.*

§. 6. Cognitis his operæ pretium erit, ipſum diſpenſationis effectum ut perluſtremus. Effectus autem conſiſtit partim in eo, ut intercedente diſpenſatione ſeu Principum permiſſu in gradibus jure poſitivo prohibitis impetrantes matrimonia contrahere valeant. *Nov. Leon. 109.* partim etiam, ut factâ diſpenſatione pœnæ ejusmodi matrimoniis prohibitis præſcriptæ ceſſent. Eſt enim effectus diſpenſationis, ut ſuper facto, de quo publicè diſpenſatum eſt, non poſſit quis ulterius accuſari. *c. ex tuo 9. X. de fil. presbyt. c. de his. 6. X. de accuſat.* Speculat. *tit. de diſpenſat. §. 11. in pr. qui effectus ex cauſa ſua arguitur.* Bucholtz. *in Reſp. Jur. pro matrim. Princip. cum defunct. uxor. ſorore.* Sed hac diſpenſatione opus non habent Principes & illuſtres Perſonæ, quæ conſuetudine moderna approbante, in gradibus jure poſitivo prohibitis matrimonia contrahere poſſunt. Hænon. *Diſp. ad Pand. 6. th. 4. lit. b.* Quare Hemming. *alleg.* à Dn. Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 110.* notabiliter dicit: Eſt planè indignum communibus legibus Principes conſtringere, ut nullis in rebus eis quicquam, quod tamen fieri poſſit ſine offenſione Dei & injuria ſubditorum, concedatur, niſi quod infimis cerdonibus ex lege communi conceditur, cum tamen multis privatis propter ſingularia in Rempublicam & Eccleſiam merita juſtè concedantur privilegia: Inter illuſtres igitur perſonas nuptiæ concedi juſtè poſſunt in omnibus gradibus divinitus non prohibitis, potiſſimum cum inde bonum publicum ſperetur. Nam ſi idem finis monſtrari poterit conceſſionis nuptiarum in illuſtribus perſonis, qui eſt prohibitionis in aliis, poterit & conceſſio & prohibitio ſimul ſtare ſine ullâ legis communis injuriâ. Nam ut conceſſio non pugnans cum verbo Dei vergit ſæpe in publicum bonum in illuſtribus perſonis; Ita prohibitio humana

in

in aliis ad bonum publicum refertur,' hactenus Hemming. Merito autem dictum eſt cauſam hujus conceſſionis eſſe publicam utilitatem & familiarum illuſtrium conſervationem. Hinc rectè Principibus curæ eſt, ob publicam ſalutem, conſervationem regionum, propagationem familiarum illuſtrium & bonum publicum cautè agere, & qua ex gente ducant uxores, circumſpicere, & hæc ratio efficit, quod non poſſint nec debeant illegitima pronunciari matrimonia Regum ac Principum in gradibus jure municipali prohibitis contracta, cum ipſimet ſint jure illo poſitivo ſuperiores, nec ob æqualium paucitatem facile conjugia genere & ſplendore ſuo digna invenire queant, Gerhard *in loc. de conjug.* §. 346. Quare inter Principes in gradu ſecundo computationis Canonicæ lineæ collateralis æqualis ſocietas conjugalis permittitur, prout quotidiana teſtatur experientia. Quod ſi autem plebeji hujusmodi nuptias absque diſpenſatione contraxerint, & copula carnali conſummaverint, arbitrarie puniuntur, ut poſt Schneidvv. teſtatur Schultz. *in Syn. Inſt. de nupt. lit. E.*

Cap. IV.

De
Objecto Diſpenſationis tum quoad conſanguinitatem, tum quoad affinitatem.

§. I.

Cum Magiſtratus poteſtate ferendarum legum divinitus ſit inſtructus, ideo tenentur ſubditi etiam illis legibus, quas cujusvis regni ſive provinciæ Superior gravi conſilio & utili fine de prohibitis cognationum gradibus promulgat, obedientiam præſtare, nec ſolum à matrimoniis in Levitic. prohibitis, ſed etiam ab illis, quæ per leges municipales interdicta

ſunt,

ſunt, abſtinere. Hinc & B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 341.* vetuſtas quasdam leges, quæ poſt converſionem ad fidem in prohibitis gradibus apud antiquos in uſu fuerunt, recenſet, eumque in finem Leges Salicas *tit. 24.* Leges Alemannorum *tit. 40. de illicit. nupt.* Leges Bojaricas *tit. 8.* Leges Longobardorum *tit. 68.* & Leges Luitprandi *tit. 28.* allegat. Et hoc ipſum noſtro tempore in Eccleſiis noſtris adhuc in viridi eſt obſervantia. In Electoratu & Ducatibus Saxonicis obſervatur Conſtitutio Eccleſiaſtica ab Elect. Maurit. *An. 1543.* & Aug. *A. 1580.* promulgata, in qua *ſub tit.* von Eheſachen de gradibus cognationis certæ traduntur prohibitiones, de quibus in *cap. 3.* actum eſt. Adduntur cuilibet quoque Regulæ pœnæ in harum prohibitionum transgreſſores, ſed tamen diverſæ. Gravius enim puniuntur, & quidem rectiſſimè, qui in gradibus divina lege prohibitis, puta in primo vel ſecundo gradu lineæ inæqualis contrahunt, quam qui in gradibus poſitiva hac lege prohibitis coeunt.

§. 2. Quamvis autem gradus ſecundus æqualis lineæ & gradus tertius lineæ tum æqualis, tum inæqualis divina lege non ſint prohibiti, tamen gradui ſecundo lineæ inæqualis divina lege prohibito ſunt proximi, quare quando prohibentur, eo ſtudioſius cavetur, ut propter vicinitatem illiciti etiam id, quod jure divino ac naturali licitum eſt, horreatur, ut ex Aug: monet B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 345.* Atque hæc eſt etiam vera & propria ratio provincialium ac municipalium prohibitionum. Neque enim cogitandum, quod Chriſtiani Magiſtratus hoc conſilio gradibus divina lege prohibitis quosdam adjecerint, quaſi leges divinæ ſint imperfectæ & inſufficientes, vel correctio quædam legibus illis fuerit adhibenda, vel quaſi eadem omnino ratio ſit prohibitionum divinarum & poſitivarum ac ab hominibus additarum, vel etiam quaſi Leges in N. T. latæ ſint in Nov. T. abrogatæ & antiquatæ, ut proinde novis prohibitionibus opus fuerit, vel quaſi melius noverint, quæ perſonæ ad matrimonium ſint aptæ, & quousque ſe extendant cognationis gradus, quam Deus ipſe; Sed ut val-

lum

lum ac ſepimentum aliquod divinæ prohibitioni adderent; cum ſint cuſtodes utriusque Decalogi tabulæ & ſic etiam harum legum matrimonialium divinitus conſtituti; Eoque conſilio Superiores Legi divinæ ſua interdicta addiderunt, ut ſubditi ab inceſtis nuptiis in gradibus à Deo ipſo prohibitis eò ſtudioſius & religioſius abſtinerent.

§. 3. Sed hæ prohibitiones humanæ poſitivæ à prohibitionibus divinis accurate diſcernendæ ſunt. Divinæ namque prohibitiones ſunt univerſales & obligant omnes homines, etiam ſummos Reges ac Monarchas, unde Regem Herodem fratriam ſuam in conjugio habentem ex fundamento harum legum Joh. Baptiſta arguit. Poſitivæ vero prohibitiones non obligant ipſos Magiſtratus, à quibus promulgantur. Inter illuſtres etenim perſonas, præſertim eas, quæ imperio præſunt, concedi poſſunt nuptiæ in gradibus jure poſitivo provinciali prohibitis, cum ob æqualium paucitatem difficilius conjugia genere & Majeſtate ſua digna invenire poſſint, *ut ex cap. antec.* patet. Deinde in gradibus divino jure prohibitis nulla Superioribus eſt relicta poteſtas diſpenſationis. Nemo enim hominum diſpenſare poteſt de Lege Dei & Naturæ, quia ejus eſt ſolvere, cujus eſt ligare & Bernh. *de prae. & diſpenſ. c. 5.* dicit: *Quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum, nullam diſpenſationem humanam admittit.* In gradibus verò jure poſitivo prohibitis Magiſtratus diſpenſare & in tantum veniam nubendi dare poteſt, ut etiam inferioris ſortis homines in illis matrimonia contrahere poſſint, modo probabilis diſpenſandi adſit cauſa. *Nov. Leon. 109.*

§. 4. Quapropter generalis hæc notanda eſt regula, quod diſpenſatio habeat locum in gradibus jure tantummodo provinciali ſeu poſitivo prohibitis, ipſa notante vocula juris poſitivi. Poſitivum enim propterea dicitur, quod in Principis voluntate poſitum ſit, ut pro ratione Princeps ac Superior ab hoc jure recedere ac in gradibus jure poſitivo prohibitis poſſit concedere nuptias. Dn. Richter *p. 1. deciſ. 11. n. 2.* Diſpenſatio autem fieri poteſt in matrimonio non tantum circa gradus à

 jure

jure provinciali, ſed etiam à Canonico & Civili, quatenus juri divino aliquid ſuperaddit, prohibitos. *c. quædam 20. & ſeq. c. 35. quæſt. 3. c. de grad. 1. c. 35. quæſt. 8.* Hinc licet de jure moderno & Provinciali nuptiæ inter conſanguineos usque ad ſecundum gradum lineæ æqualis & tertium inæqualis ſint prohibitæ, attamen quia hæc prohibitio in ſolo jure poſitivo & municipali eſt fundata, propter probabilem aliquam rationem conceſſioni ſeu diſpenſationi locus datur, modo non ſubſit reſpectus parentum & liberorum, qua in re prudentia Magiſtratus & Paſtorum adhibenda eſt, ne temere fiat diſpenſatio, & morum diſſolutio ſequatur, unde diſpenſari poteſt, ſi duorum fratrum ſororumve liberi matrimonium appetant, & diſpenſationem petant, cum non ſit contra jus divinum. Imò Moſe & Joſua hujusmodi nuptias conceſſerunt & approbârunt, ut de Moſe legitur *Num. ult. Joſuæ c. 15. & Judic. 1.* Non enim ulla juris divini ſanctio, nec ſententia vel ratio *Levi. 18. & 20.* matrimonio conſobrinorum vel patruelium obſtat, quin potius permiſſionem ejus probant exempla in Sacris haud pauca ſupra fuſius adducta. Et cur non admittenda eſſet diſpenſatio, cum tamen per hanc hoc in caſu res ad jus commune redigatur, quo tale matrimonium expreſſe permiſſum eſt, *juxta §. 4. Inſt. de Nupt. L. 67. §. 1. ff. de Rit. Nupt. L. 19. C. de nupt.*

§. 5. Quod de conſanguinitate in ſecundo gradu lineæ æqualis dictum eſt, idem etiam obtinet in affinitatis gradu ſecundo lineæ æqualis quoad matrimonium ſcil. cum patruelium vel conſobrinorum viduo viduâque contrahendum. Poſtquam enim in affinitate eſt una eademque graduum computatio, eadem quoq; erit prohibitio matrimonii. Schneidvv. *ad tit. Inſt. de Nupt. rubr. de arb. Affin. n. 9.* Similiter omnino inferendum eſt, quod in gradu quoque Affinitatis ſecundo lineæ æqualis diſpenſatio locum habeat. Etſi enim ejusmodi matrimonium non ſolum per Ordinat. Eccleſiaſticas noſtrarum Provinciarum, ſed & de jure Canonico prohibitum ſit; Cum tamen de jure divino nuptiis his nulla obſtet prohibitio,

non

non eſt, quod de diſpenſatione dubitamus. vid. Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 114.*

§. 6. Quo vero in remotiore conſanguinitatis gradu nupturientes conſtituti ſunt, eo facilius diſpenſationem impetrare poterunt, quia ipſa naturalis ſuadet ratio, quod in gradu remotiore tanta non ſit proximitas ſanguinis, quæ in gradu propinquiore. Et cum jam certum ſit, quod diſpenſatio obtineat in gradu conſanguinitatis ſecundo lineæ æqualis, procul dubio obtinebit in gradu tertio & quarto lineæ inæqualis, quia ejusmodi gradus ſolo jure poſitivo prohibiti ſunt, ut juris divini diſpoſitio hic nullum pariat impedimentum. Dn. Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 115.* Et hoc, quod de diſpenſatione quoad conſanguinitatem in gradu tertio lineæ inæqualis dictum eſt, de affinitate quoque intelligendum erit, nempe ut locus ei ſit in gradu tertio affinitatis lineæ inæqualis, ſi quis cum patris vel matris ſuæ conſobrini aut patruelis vidua, vel cum conjugis ſuæ patrui, amitæ avunculi & materteræ neptibus nuptias celebrare velit, ob identitatem rationis in conſanguinitate & affinitate, quia utriusque eadem graduum & computatio, eademque matrimonii prohibitio eſt. *can. porro 3. c. 35. quæſt. 5.* Quod ſi ergo in gradu hoc tertio conſanguinitatis obtinet diſpenſatio, utique nec ulla in gradu affinitatis Magiſtratui Superiori deneganda erit.

§. 7. Hoc ipſum tamen, quod de diſpenſatione in linea collaterali inæquali dictum eſt, limitatur, ut tunc demum procedat, quando reſpectus paternus non ſubeſt. Quod ſi enim hic impediat matrimonium, aliud dicendum atque di- diſpenſatio deneganda eſt. puta: ſi quis patruum, avunculum, amitam & materteram magnos h. e. avi, aviæque fratrem & ſororem connubio ſibi jungi petat. Etſi enim hæ perſonæ juxta computationem juris Canonici ſint conſtitutæ in gradu tertio lineæ inæqualis; Attamen hic non tam gradus, quam reſpectus paternus conſiderandus venit. Is enim tantæ efficaciæ eſt, ut & in gradu quarto nuptiis impedimento ſit, non ſolum de jure Eccleſiaſtico moderno, *juxta Ordin.*

Eccleſ. Elect. Saxon. tit. von Eheſachen; Sed & de Jure Civili *propter* §. 5. *Inſt. de Nupt. L.* 17. §. *ult. L.* 39. *ff. de Rit. Nupt. L.* 17. *C. de Nupt.* Quinimo de jure divino. Nam qui amitæ & materteræ nuditatem detegit, carnem patris & matris. *Levit.* 18. *v.* 12. & 13. Imo carnem ſuam nudat. *Levit.* 20. *v.* 19. Ergo & nudans amitam atque materteram magnam, majorem &c. carnem avi, aviæque proavi & proaviæ diſcooperiet, cum fratres ſororesque una ſint caro. *Levit.* 18. *v.* 12. *& ſeq.* Adeoque prohibitio connubii inter aſcendentes & deſcendentes de jure divino etiam præſentem includit caſum. Dn. Carpzov. *lib.* 2. *Jurisp. Conſiſt. def.* 80.

§. 8. Et quia in cauſis matrimonialibus cum graduum numero potiſſimum ſanguinis proximitas attenditur. §. 2. *Inſt. de Nupt.* Ideoque nihil refert, an perſonæ, quæ vel conſanguinitatis vel affinitatis ratione in gradu prohibito reperiuntur conſtitutæ, ſint ab uno, an ab utroque latere conjunctæ. Cum enim Leges nullam faciant diſtinctionem conſanguinitatis & affinitatis ex uno vel utroque latere, ideoque nec noſtrum erit lege tacente diſtinguere. *L. de pretio* 5. *ff. de publ. in rem. act. L.* 1. §. 1. *ff. de leg. præſtand.* Nihil quoque intereſt, an affinitas ſit legitima an illegitima, non ſolum enim legitima, quæ mediante matrimonio, verum etiam illegitima, quæ ſc. ex illicitis nuptiis & fornicario coitu eſt contracta. *c. ſi quis* 8. *cum ſeqq. cauſ.* 34. *q.* 2. *c. ſi homo.* 6. *c. nec eam.* 10. *cauſ.* 35. *q.* 2. & 3. *c. de illo.* 3. *c. ſuper eo.* 5. *c. diſcretionem* 6. *c. fraternitatis* 7. *X. de eo, qui cogn. conſ. uxor.* prohibitionem antea dictam præſupponit, ut opus ſit diſpenſatione. Carpz. *lib.* 2. *Jurispr. Conſiſt. def.* 118. Nec obeſt, an ſit primum, an ſecundum genus affinitatis. Quod ſi enim matrimonium in ſecundo genere affinitas prohibitum ſit, diſpenſatio neceſſaria erit. Et quidem quod tertium affinitatis concernit genus, quondam quidem usque ad ſecundum gradum prohibitio extendebatur. *c. porro duorum ult. cauſ.* 35. *quæſt.* 3. Sed per conſtitutionem Innocentii in Concilio Lateranenſi prohibitio hæc penitus ſublata eſt. *c. quod ſuper his.* 5. *X. de conſangu. & affin.* Schneidevv. *ad tit. Inſt.*

de

de Nupt. Hocque hodie obtinet, ut diſpenſatio in hoc genere affinitatis neceſſaria non ſit; imo ſi contingat in linea recta inter aſcendentes & deſcendentes hoc in affinitatis genere tractari matrimonium, bene quidem faciunt, qui ſaltem ex cauſa honeſtatis à propoſito contrahentes dehortantur, quod ſi tamen perſeveraverint in ſua intentione, tale matrimonium prohibendum non eſt. vid. Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 103.*

§. 9. Sed quod attinet ſecundum affinitatis genus, certum quidem eſt, quod exploſa juris Pontificii ſanctione *in c. & hoc quoque 12. c. 35. q. 2. & 3.* impedimento nuptiis haud ſit, niſi tales nupturientes ſint perſonæ, quæ parentum & liberorum loco habentur. *L. 4. §. 7. ff. de grad. & affin.* Dn. Hahn. *ad VVeſenb. de R. N. n. 4.* Dn. Richter *p. 1. dec. 10. n. 14.* Ut tamen ſcandala evidentur, Magiſtratus omnis generis diſvaſionibus hujusmodi matrimonium in ſecundo genere affinitatis contrahendum impedire debet. Gerhard. *in loc. de Conjug § 356.* Hinc & Dn. Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 102.* deducit, quod nec in linea collaterali in ſecundo genere affinitatis licite contrahantur nuptiæ cum conjugis denatæ fratris vidua, ubi inter alias rationes inſolens eſſe dicit, eas perſonas, quarum liberi contrahere inter ſe matrimonium non poſſunt propter conſanguinitatem, nuptias inter ſe velle contrahere, prætereaq; appellationum confuſiones & cognationis turbationem ex permiſſione talis matrimonii oriri demonſtrat. Add. Beuſt. *de jur. Connub. p. 2. c. 55. in fin.* Verum licet hanc prohibitionem aſſumamus, tamen ſano ſenſu ita procedit, ut bene diſpenſari poſſit in caſu hujus matrimonii, cum nulla prohibitio juris divini ipſi obſtet. Ne enim per tale matrimonium detur hominibus imperitis occaſio committendi inceſtum, judex Eccleſiaſticus quando res eſt integra, has perſonas graviter admonere debet, ut à tali matrimonio abſtineant propter ſcandalum; Si verò res non amplius eſt integra, ſed celebrata jam ſunt ſponſalia vel alias efficax promiſſio facta, tunc tale matrimonium non diſvadendum judicarunt Theologi & JCti

Wittenberg. atteſtante Beuſt. *p. 2. c. 55.* Illuſtrantur hæc omnia per Reſponſ. Conſiſt. Dresdenſis apud Dedekenn. *vol. 3. Conſil. Theolog. lib. 3. ſect. 6. n. 29.* ſuper hoc caſu propoſitum & à Carpz. *lib. 2 Jurispr. Conſiſt. def. 120.* allegatum. Et eatenus veriſſimum eſt, quod cum Schneidvv. Weſenbec. Brchſtad, Kitzel. & aliis Dn. Philipp. *in Uſ. Pract. de Inſt. lib. 1 Eclog. 67.* concedat, ut quis conjugis denatæ fratris viduam in uxorem ducat. Notabilia hanc in rem ſunt verba Magn. Dn. Struv. *Ex. 29. th. 45. In ſecundo*, inquiens, *& tertio genere* (ſcil. affinitatis,) *matrimonium quoad hos affines non prohibetur, quibusdam verò locis ſtatutum eſt, perſonas tales nuptias affectantes nondum firma promiſſione facta monendas eſſe, ut deſiſtant.*

§. 10. Sed ſi in ſecundo affinitatis genere reſpectus parentum & liberorum occurrat v. g. in privigno & vitrici ſui vidua, an diſpenſatio Magiſtratus locum habere poſſit? quæritur. De prohibitione hac equidem certum eſt, quod à tali matrimonio nupturientes abſtinere debeant, non ſolum ob honeſtatis rationem, in contrahendis ſiquidem nuptiis non ſolum quid liceat, ſed etiam quid deceat & honeſtum ſit, ſpectandum eſſe, JCt. *in L. ſemp. 42. ff. de R. N.* monet. Sed etiam ob expreſſam juris Civilis prohibitionem *in L. uxorem. 15. ff. de R. N.* per ſanctionem Saxonicam *in Conv. Prov. Elect. Sax. de An. 1557.* confirmatam. Accedit, quod hæ perſonæ ſint parentum ac liberorum vice. Quæ ratio à B. Gerhard. *in loc. de Conjug. §. 358.* in tantum attenditur, ut ne quidem diſpenſationem admittit. Hancque ſuam aſſertionem argumentis partim ex lege naturali & divina, partim à pari & abſurdo, partim etiam ab autoritate veterum Canonum deductis confirmat, ſicque text. *Levit. 18. v. 8* ad hunc quoque extendit caſum. Sed quia iſta extenſio longius petita & non tantum ad diverſum gradum, ſed & ad diverſum genus affinitatis applicata eſt, ideoque Beuſt. *de jure connub. p. 5. c. 53.* & Dn. Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 119.* in hoc matrimonio diſpenſationem admittunt, quia ex rationis identitate, unione ſcil. carnis inter conjuges & quartum & quintum affinitatis genus,

 conſti-

conſtitui, ſicque in infinitum usque divina extendi poſſet prohibitio. Quare Beuſt. *cit. loc.* teſtatur, quod hodie in Conſiſtoriis harum terrarum matrimonia in ſecundo genere affinitatis concedantur, ita tamen ut propter publicam honeſtatem non aliter fiat, niſi permiſſione & conceſſione Magiſtratus Superioris, ſingulari quadam interveniente diſpenſatione. Denique intermedium quaſi hac in re approbat Dn. Brunnem. *in Comm. ad L. 15. ff. de R. N.* ſententiam, dum largitur, re integra non facile concedendum eſſe hoc matrimonium ob ſcandalum.

§. 11. Denique an ſit contracta, an verò contrahenda Affinitas, nihil intereſt, licet enim per ſponſalia, copula nondum ſecuta, affinitas proprie contracta non ſit, *arg. L. 14. §. 4. ff. de R. N. L. 4. §. 3. ff. de grad.* Quia tamen per nudam deſpenſationem jam eſt inchoata fidesque conjugalis data, quæ & ipſa reverentiam aliquam implicat, ob quam à nuptiis Sponſi Sponſæque conſanguineorum ſibi meritò quis temperat. Gerh. *in l. de conjug. §. 362.* Ideò cum ſponſa fratris defuncti ſponſæve defunctæ ſorore nuptias ſine diſpenſatione Principis inire non licet. *§. 9. Inſt. de Nupt. & L. 7. C. de inceſt. & inutil. nupt. Ordinat. provinc. Saxon. de An. 1557. pag. 188 fac. 1. rubr.* Von Bräutigam und der Braut / daß iſt / die ſich mit einander offentlich verlobet / und doch das eine verſtirbet / ehe die Hochzeit oder Beylager gehalten. Facultas quidem Theologica Roſtochienſis ſuper quæſt. ſi nupturientes hoc in caſu diſpenſationem petant, num iis venia à Magiſtratu vel Principe danda eſſet? negativè reſpondit; Verùm quod diſpenſatio Magiſtratus hoc in caſu locum habeat, tuentur Joach. à Beuſt. *de ſponſ. & matrim. part. 2. c. 54.* B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 263. in fin.* it. Dn. Richter *p. 1. deciſ. 11. n. 15. 16. 17.* Licet enim per deſpenſationem jam inchoata atque data ſit fides conjugalis, quæ reverentiam quandam importat; Tamen hoc impedimentum per Magiſtratus diſpenſationem tolli poteſt, quia iſta prohibitio juris tantummodo humani poſitivi, non divini eſt. Panorm. *in c. referente. X. qui filii ſint. legit.* Beuſt.

de

de Jure connub. c. 54. Neque nudis ſponſalibus contrahitur affinitas niſi ſequatur matrimonium. *d. §. 9. Inſt. de nupt.* Neque etiam conſenſus cognationem ante copulam carnalem conſtituit, quæ matrimonium impediat. Dn. Richter *p. 1. Dec. 11. n. 16.* Imo licet nuptiæ intervenerint & celebratæ fuerint, tamen diſpenſationi locum eſſe, ſi quis fratris ſui ab uno tantum latere conjuncti filii ſponſam ab ipſo nondum cognitam ducere velit, *in Colleg. Jurid. Jenenſi M. 7br. An. 1632.* reſponſum eſt, ut refert Dn. Richter *p. 1. Dec. 11. n. 17. & 18.* ubi tradit, quod quis patruelis ſui ſponſam interveniente diſpenſatione ducere poſſit, *juxta Reſp. Coll. Jur. Jenenſ. de An. 1621.*

§. 12. Denique ſub fine hujus Capit. quæritur: An ex diſpenſatione Principis ſponſæ quoque defunctæ matrem vel filiam quis in uxorem ducere poſſit? Difficilior videtur eſſe reſolutio hujus quæſtionis propter intervenientem reſpectum parentum & liberorum, qui hic ſubeſt, quapropter expreſſam invenimus juris noſtri civilis prohibitionem *in L. 12. §. 1. & 2. & in L. 14. §. ult. ff. de R. N.* Aſt quia diſpenſatio verum & conſummatum haud conſtituit matrimonium, quare Carpz. *lib. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 122.* etiam hoc in caſu diſpenſationem admittit, quam in rem multas profert rationes. Putamus, quod præcipue hic attendendum ſit, quomodo cum defuncta ſponſa converſatus fuerit ſponſus. Nam ſicut hoc, ut pro complemento Theſ. prioris moneatur, Dn. Brunnem. *ad L. 12. ff. de R. N.* eo in caſu requirit, ſi quis ſponſam fratris vel ſponſæ ſororem ducere velit, ita ut in dubio juramentum purgationis deferendum eſſe afferat ſponſo, quod ſponſam ſuam carnaliter non cognoverit, ita quoque multo magis obtinebit hoc in caſu, ubi adhuc reſpectus parentum & filiorum concurrit, quare ipſe Dn. Carpzov. concedit, non ſolum pro ratione circumſtantiarum perſonæ diſpenſationem petenti juramentum injungendum, ut hoc modo à præſumtione commixtionis carnalis cum defuncta ſponſa ſe purget, ſed etiam hanc diſpenſationem rarius concedendam &, quantum fieri poteſt, declinandam eſſe, ob ſcandalum in Eccleſia præ-

ſertim apud plebem inde exiſtentem, quæ inter affinitatem inchoatam & conſummatam vix diſtinguere novit.

Cap. Ult.

De
Caſibus, quibus diſpenſatio ceſſat.

§. 1.

Conſideratis caſibus, quibus diſpenſatio procedit, jam reſiduum eſt, ut enumerentur illi, quibus ceſſat, ubi autoritate multorum Doctorum regula hæc approbata eſt, quod contra Jus divinum in cauſis matrimonialibus à Pontifice aut Magiſtratu Superiori Jus diſpenſandi alias habente, diſpenſari non poſſit, *per text. in c. literas 13. X. de reſtit. ſpoliat. c. ſunt quidam. 6. c. 25. q. 1.* Covarruv. *de matrim. p. 2. tom. 1. c. 6. §. 9. n. 10.* Schneidevv. *ad pr. Inſt. de Nupt. rubr. de arbor. affin. n. 22.* Dn. Richter *p. 1. Deciſ. 11. n. 1.* Dn. Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 109.* Neque hoc aſſertum ſua deſtituitur ratione. Eſt enim diſpenſatio, vel poteſtas concedendi veniam, ut quis in gradu prohibito nuptias contrahat, nihil aliud quam relaxatio juris atque legis. *Gl. & Canon. in cap. literas verb. diſpenſare & verb. divina lege X. de reſtit. ſpoliat.* Sed relaxari nequit à Principe vel ab homine jus divinum, nec valet contra id humana diſpenſatio. *Eſai. c. 19. v. 1. & ſeq.* Beuſt. *de jur. Connub. p. 2. c. 56.* Dn. Carpz. *lib. 5. tit. 10 Reſp. 112. n. 3.* Hinc Reuſner. *vol. 1. Conſil. 9. n. 99.* ait, quod in ſpecie contra Legem Evangelii non ſit locus diſpenſationi, cum ratione humana permitti non poſſint ea, quæ jure divino ſunt prohibita. Bald. *in Authent. Ad hæc C. de uſur. n. 2.* nec inferior mutare aut abrogare poteſt legem Superioris. *arg. §. ult. Inſt. de leg. agnat. tutel.* Paris *vol. 4. Conſil. 68. n. 24.* Quapropter ſi præceptum divinum tolli aut mutari debet, neceſſum eſt, ut hoc ab ipſo Conditore fiat.

§. 2. Neque ſolum jus divinum morale, ſed & naturale diſpenſationem reſpuit, adeo ut & contra illud Superior diſpenſare nequeat, *propter c. qui omnipotentem 95. c. 11. q. 3. & c. fin. 11. X. de Transact.* Eſt enim & illud immutabile, *juxt. §. 11. Inſt. de J. N. G. & C.* Etiamſi quoque prohibitio vere & abſolute naturalis non ſit, ſi tamen certo reſpectu pro morali atque naturali haberi poteſt, quod à ratione naturali inducta ſit, diſpenſatio ceſſat. Sigismund. Loffred. *Conſil. 10. v. 20.* Imò etſi ſaltem Jure Gentium introducta ſit prohibitio, tamen diſpenſatio locum non habet, quippe quæ etiam contra jus gentium fieri nequit. Angel. *in L. ſi ad ulterium 31. §. idem Pollioni ff. ad L. Jul. de adult. & L. fin. C. ſi nupt. ex Reſcript. petant.* Hinc Bald. *ad L. 1. C. de inceſt. & inutil. nupt.* tradit, quod reſcriptum continens diſpenſationem aut ſit contra jus Civile & valeat, aut contra jus Gentium, & non valeat. Unde quoque reſcriptum, per quod nuptiæ inceſtæ conceduntur, non impetrandum nec impetratum ſervandum, ſed ipſo jure potius nullum eſt. *L. fin. C. ſi nupt. ex reſcript. petant.* ibique Salycet. Nam ex hujusmodi diſpenſatione, quaſi in contemptum Dei facta, ſcandalizatur Eccleſia, indeque diminuitur reverentiæ Eccleſiaſticæ vigor, ut pro nulla merito habenda ſit. *c. cum teneamur. 6. X. de præbend. c. ſi quando. 5. X. de Reſcript.* Reuſner. *vol. 1. Conſil. 9. n. 114. & ſeq.* Accedit, quod ducere perſonam jure divino prohibitam peccatum & turpitudinem conſtituat. *Levit. 18. v. 20.* ubi autem nutritur peccatum, ibi non poteſt diſpenſari, quia per ejusmodi diſpenſationem aperitur via ad ſcelus & delictum, *contra text. in c. etſi Chriſtus. 26. v. 6. quadam X. de jurej.* Bald. *in L. fin. C. ſi nupt. ex Reſcript. petant.* Felin. *in c. quæ in Eccleſiarum 7. X. de Conſtit. n. 21.*

§. 3. Pontificii quidem hic conſtanter diſſentiunt, dum Papam Romanum contra prohibitionem divinam *Levit. 18.* propoſitam diſpenſare poſſe aſſerunt, quam in rem facit *Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 3. in verbis : Si quis dixerit, Eccleſiam* (Pontificem Romanum) *non poſſe in quibusdam gradibus conſanguinitatis vel affinitatis, qui in Levit. exprimuntur, diſpenſa-*

ſpenſare, anathema ſit. Sed cum hic quæſtio non de diſpenſatione divina, an in omnibus, vel quibusdam gradibus *Lev. 18.* prohibitis locum habere poſſit, ſed de humana & Pontificia inſtituatur, an ſcil. Pontifici competat poteſtas diſpenſandi in prohibitis illis gradibus vel omnibus vel quibusdam, hoc recte negamus, cum & ipſi Pontificii non conveniant in enumeratione graduum jure naturæ prohibitorum, & quamvis præcipue urgeant locum *Deut. 25. v. 5.* ubi præcipitur, ut ſi quis absque liberis moriatur, ducat fratris ſui uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo, ut proinde prohibitio de non ducenda fratria *Levit. 18. v. 16.* videatur mere poſitiva ac judicialis; Tamen B. Gerhard. *in loc. de conjug. ſ. 320.* ad hunc text. optime reſpondet, quod lex de ducenda fratria *Deut. 25.* plane fuerit ſpecialis, & ſoli populo Judaico propoſita, ſpectans ad conſervandam diſtinctionem tribuum ac familiarum, ut cognoſci poſſit, ex qua familia Meſſias exſpectandus eſſet, quod etiam ex ſequentibus Bellarmini verbis elicit: *Putamus à Deo diſpenſabilia eſſe conjugia omnia in quoquis gradu, nullus enim eſt gradus, in quo conjugium ita ſit intrinſece malum, ut repugnet illud fieri bene, quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem matrimonii primarium vel ſecundarium, licet aliquo modo impediat, nam ex conjugio etiam filii cum matre poſſunt naſci liberi & educari.* Cui ſententiæ ſuffragatur aſſertum Henniges ad Grot. qui juxta ſuperius monita prohibitionem legis divinæ pro ratione principali in nuptiarum impedimento quoad conſanguinitatem & affinitatem admittit.

ſ. 4. Non autem inde ſequitur, quod propter hanc ſpecialem divinam diſpenſationem illam quoque Pontifex ſibi in gradibus jure divino prohibitis vindicare poſſit. Papa enim nunquam efficere poteſt, ut id, quod propter determinationem divinam peccatum, inhoneſtum & bonis moribus contrarium eſt, non ſit peccatum aut licitum fiat. Bucholtz. *in reſp. pro matrimon. Princ. cum defunct. uxor. ſoror. contr. n. 584. & ſeq.* Unde quoque hanc extenſionem cum Theologis Aug. Confeſſionis noſtrates rejiciunt JCti, interque eos Dn. Carpz.

 lib.

lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 109. Evolvatur B. Gerhard. *in d. loco de conjug. §. 307. & mult. ſeq.* ubi latius contra Pontificios & Bellarmin. hac in quæſtione diſputat, denique *ſub fin. §. 322.* rationes, cur Deus lata lege certos conſanguinitatis & affinitatis gradus in matrimoniis contrahendis prohibitos voluerit, annectit, quod ſcil. prohibitiones iſtæ graduum in Levitico propoſitæ fuerint juris naturalis, non per Moſen primum latæ, ſed partim mentibus hominum in prima creatione naturaliter inſitæ atque inſculptæ, partim etiam poſt lapſum ante Moſen voce divina vel immediate, vel per Patriarchas ſæpius repetitæ, ac tandem cum aliis præceptis ad legem moralem ſpectantibus per Moſen ſolenniter promulgatæ & populo Iſraelitico inculcatæ. Add. illa, quæ *c. 2.* propoſita ſunt, & Illuſtr. noſter Strauch. *Diſſ. ad Inſt. 2. aph. 11.* exhibet.

§. 5 His præſuppoſitis ex antea dictis jam facile patet, quando diſpenſatio ceſſet, ut tribus, quod ajunt, verbis Nos expediamus, in gradibus jure divino tum quoad conſanguinitatem, tum etiam quoad affinitatem prohibitis. Hinc cum de jure divino in linea recta inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum, nec non in linea transverſali æquali in gradu primo inter fratres & ſorores connubium prohibitum ſit. *Levit. 18. v. 20.* procul dubio nemo erit, qui diſpenſationem hiſce caſibus petere, multo minus veniam dandi facultatem ſibi promittere queat, & quia etiam in gradu ſecundo lineæ inæqualis inter fratrem fratriſque filiam nuptiæ de jure divino prohibitæ ſunt. *Levit. 18.* Ideoque Superiori neutiquam fas erit, hoc in gradu diſpenſare ac veniam nubendi concedere, præcipue, quod reſpectus parentum & liberorum concurrat, qui in jure naturali & divino fundatus eſt. Vid. lat. Dn. Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 111. per tot.* Hinc perſonæ in ejuſmodi gradibus ſe commiſcentes crimen inceſtus incurrunt & diverſimode pro ratione proximitatis puniuntur, de jure Civili tenentur pœnis, quæ *ex §. 12. Inſt. de nupt. t. t. C. de inceſt. nupt. L. 38. ff. ad L. Jul. de Adult. & Nov. 12.* patet. Moribus vero noſtris in linea recta, niſi ætas aut alia circumſtantia mitigationem

tionem ſvadeat, pœna gladii, inter collaterales vero in primo gradu lineæ æqualis, ut & primo & ſecundo gradu inæqualis fuſtigatio obtinet. Dn. Hahn. *ad WeſenB. ad L. Jul. de Adult. n. 21. & 22.* Carpz. *in Prax. Crim. p. 2. q. 72. & 71.*

§. 6. Affinitatem ſi conſideramus, ſe itidem offert regula in antecedentibus inculcata: Quæ prohibitio de jure divino valet in conſanguinitate, illa ipſa quoque locum habet in affinitate. Unde jam concludendum, quod illis in caſibus, ubi de jure divino quoad affinitatem prohibitum eſt matrimonium, diſpenſatio obtinere nequeat. Hocque procedit (1) inter perſonas, quæ quoad affinitatem in linea recta ſunt inſtar parentum & liberorum, ſeu quæ alterius conjugis ſunt aſcendentes & deſcendentes in linea recta. *Levit. 18. v. 8. it. v. 20. Deut. 27. v. 20. 1. Cor. 5. v. 1.* ut ſunt uxor patris, ſcil. noverca & uxor filii ſive nurus, it. uxoris mater ſive ſocrus & filia uxoris ſive privigna, Filia privigni & filia privignæ. Neque hæc prohibitio ad has duntaxat perſonas reſtringenda, ſed & ad omnes in linea recta exiſtentes affines extendenda eſt, ita ut inter vitricum & proprivignam & ſic in infinitum usque nulla locum habeat diſpenſatio. Vid. B. Gerh. *in loc. de conjug. §. 268, 270. 272. & 273.*

§. 7. In linea collaterali quoad affinitatem inter eas perſonas diſpenſatio ceſſat, quæ ſe habent ut fratres & ſorores. Nam de jure divino neque uxorem fratris, neque etiam ſororem uxoris quis ducere poteſt. Et quidem quod fratriam, id eſt uxorem fratris concernit, ſpecifica adeſt prohibitio *Levit. 18. v. 16.* contra quam quidem difficilis pugnat locus ſcil. text. *Deut. 25. v. 5.* ubi continetur præceptum, ut quis fratris ſui absque liberis mortui viduam in uxorem ducat; Verum quid reſpondendum ſit, patet ex antecedentibus & quidem *§. 3.* hujus capitis, ubi ex B. Gerhardo ſpecialitas hujus conſtitutionis relata eſt, quæ tamen in N. T. Chriſto jam nato expiravit. Alias conciliationes refert B. Gerhard. *cit. loc.* quod ſcil. quidam intelligant *text. Levit. 18.* de uxore fratris viventis, quidam verò textum accipiant de uxore fratris repudiata, Porro, quod præceptum Deuteronomii intelli-

gant non de fratre germano, ſed de proximo in alio gradu, in quo liceat ſecundum legem matrimonium contrahere, ut de patrueli vel conſobrino, qui & ipſi in ſacris Bibliis fratres dicuntur. Et hanc poſteriorem explicationem probare quoque videtur Beuſt. *ſæp. cit. p. 2. c. 51 ferm. circ. fin.* B. Gerhardi explicationem vero ſequitur Dn. Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 91. n. 17.*

§. 8. Quod autem ſororem uxoris attinet, prohibitio quidem *ex Lev. 18. v. 18.* ſat manifeſta eſt in verbis: Sororem uxoris tuæ non accipies ad affligendum eam, ad revelandam nuditatem ejus, illa adhuc vivente; Quia tamen verba hæc. *In vita ejus*, vel *illa adhuc vivente* limitationem inducere videntur, ideoque nonnulli à contrario ſenſu concludunt, permiſſum eſſe defunctæ uxoris ſororem ducere, quod Daniel Hofinan, Theologus Helmſtadienſis, ſecutus nonnullos ex Rabinis & Pontificiis prolixo reſponſo circa finem prioris ſeculi in cauſa cujusdam Judæi in hoc genere affinitatis nuptias contrahentis demonſtrare conatus eſt. Huic Miniſtri Eccleſiæ Hildeſianæ ſe oppoſuerunt, tandemque cauſa ad venerandam Facultatem Theologicam in alma Salana delata eſt, qui ſcripto quodam ejusmodi nuptias non ſolû jure Civili, Canonico & municipali, ſed etiam jure divino prohibitas judicarunt ex rationibus, quas congeſſit B. Gerhard. *in loc. de conjug. §. 547. & ſeq.* Quamvis enim in textu addantur verba: *Illa adhuc vivente*: Weil ſie noch lebet. Tamen non ita accipienda ſunt, ac ſi mortua conjuge liceret ejus ſororem ducere, hoc enim Moſes non aſſerit, ergo nec noſtrum eſt dicere. Neque etiam argumentum à contrario ſenſu procedit, quoties exinde reſultat abſurdum aut intellectus juri ſeu rationi contrarius. *L. 2. C. de condit. inſert. L. conventicula 15. C. de Epiſc. & Cler.* Everh. *in loc. Top. 82. à contrar. ſenſ. v. 6.* abſurdum vero foret, ſi quis duabus ſororibus jungi poſſet, cum tamen una fœmina duobus fratribus nubere non poſſit. Bucholz. *in Reſponſ. pro matrim. princ. cum def. uxor. ſor. n. 25. & ſeq.*

§. 9. Quia itaque prohibitio matrimonii cum ſorore uxoris

ris defunctæ ex ipſo *Lev. c. 18.* demonſtrari poteſt, ideoque ne textus anſam dubitandi daret, Theologi ad clauſulam prædictam multifarias reſponſiones propoſuerunt. Alii namque vocem ſororis non proprie & ſpecialiter, ſed generaliter pro qualibet uxoris cognata, vel etiam alia fœmina accipiunt, ut Calvin. cit. à Beuſt *dict. c. 51.* Alii vero clauſulam: In vita ejus; referendam cenſent, non ad uxorem, ſed ad illius ſororem hoc modo: *In vita ejus ſcil. ſororis, ſive quamdiu ſoror vivit, id eſt nunquam.* Alii porro textum explicant ex regula generali, quod excluſiva temporis antecedentis, non ſemper inferat incluſionem temporis ſubſequentis, ſed adjecta illa excluſiva ſæpius ſimplicem negationem contineat. Tandem alii docent, Deum ſpecialem hanc prohibitionem de non ducenda uxoris adhuc viventis ſorore non ob iſtam adpoſuiſſe rationem, ac ſi ea mortua ſoror duci poſſet, ſed propter tres cauſas (1) propter exemplum Jacobi duas ſorores ſimul in matrimonio habentis, ne quis ob Patriarchæ ſanctitatem eo abutebatur (2) propter effrenem Judæorum in repudiandis uxoribus libidinem (3) propter ſpecialem legem de ducenda fratris ſive liberis defuncti vidua. *Deut. 25. v. 5.* ne quis eam univerſaliter ac ſimpliciter acciperet, cum limitate ac determinate ab ipſo Deo ſit poſita. B. Gerh. *d. l. de conjug. n. 350. in fin.* Bucholz. *cit. Reſp. n. 36.*

§. 10. Facultas quidem Juridica Rintelenſis ſuper facti ſpecie: *Utrum Princeps Imperii lege poſitiva ſuperior poſt obitum conjugis ſuæ, ejusdem ſororem ducens & matrimonium cum ea conſummans, ſalva conſcientia in eodem perſiſtere queat, an vero ductam hanc uxorem ratione conſcientiæ à ſe iterum repudiare teneatur?* reſpondit, quod in tali matrimonio vivere poſſit, partim quod agatur de matrimonio non primum contrahendo, ſed dudum contracto reſcindendo, ubi facilius impetratur diſpenſatio, quia multa ſæpius facta tenent, quæ ab initio fieri prohibentur, partim quod perſonæ contrahentes illuſtri dignitate, honore & autoritate præfulgeant, quæ facilius præ plebejis diſpenſationem impetrare poſſunt, partim

etiam.

etiam, quod ex diſſolutione hujus matrimonii oriturum ſit maximum diſſidium inter Principem maritum ejusque cognatos ex una, & inter Principis uxoris cognatos ex altera parte, quæ res ingentium in toto imperio motuum cauſa & fomes exiſtere poſſet, partim, quod ſcandalum ex diſſolutione hujus matrimonii non poſſet non oriri, ſi uxor illuſtris ex cohabitatione maritali Principis mariti tunc gravida & mox mater ejicienda foret è domo mariti cum ſobole, quo caſu diſpenſationem & utilem & neceſſariam, imo debitam eſſe, concludunt per jura adducta Dd. allegati à Paris *vol. 4. Conſil. 68. n. 132.* vid. Bucholz. *cit. Reſponſ. præcipue in reſol. quæſt. 3.* His ſe oppoſuerunt multi, qui indigne tulerunt iſtiusmodi matrimonium tam acriter defendi, ſed, licet quæſtionem hanc noſtram non faciamus quin eruditæ potius relinquamus cenſuræ B. Lect. in multorum tamen ſcriptis ſæpius quæſtionem in theſi: *Utrum Princeps ſalva conſcientia hoc matrimonium contrahere poſſit*, cum Rintelenſium hypotheſi: *Utrum Princeps hoc matrimonio de facto jam tum contracto, ſalva conſcientia in eodem perſiſtere queat*; an vero uxorem jam cognitam & gravidam repudiare debeat? confuſam eſſe vidimus.

§. 11. Ultimo denique communiter Dd. ſtatuunt, quod jure divino etiam inter iſtas perſonas affines ſint interdictæ nuptiæ, quæ conjugi defuncto aut defunctæ in linea collaterali fuere loco parentum & liberorum, per text. *Levit. 18. v. 14.* Quamvis enim, ne quis patrui ſui viduam ducat *d. text. Lev.* tantummodo expreſſum ſit, ut nuptiæ cum perſona ex defunctæ uxoris ſorore vel fratre edita ſpecificis verbis in Levitico non prohibeantur, quia tamen non perſonæ tantum nominatim expreſſæ, ſed etiam æque diſtantes gradus in Levitico prohibiti ſunt, ideoque univerſaliter concludunt, quod diſpenſatio quoque in linea collaterali quoad affines, qui ſibi invicem parentum & liberorum loco ſunt, ceſſet, cum identitatis ratio idem jus conſtituat, *L. 32. ff. ad L. Aquil. L. 9. §. 2. ff. de Edend.* Et hanc ſententiam poſt B. Gerhard. *in loc. de Conjug. §. 351.* approbat Dn. Carpz. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 112.*

quæ

quæ etiam ſine dubio in judiciis Eccleſiaſticis Electoris Saxoniæ recepta eſt. Alii verò non ita ſimpliciter ac in genere inter hujusmodi affines prohibitas eſſe nuptias ſtatuunt, cùm de aliis affinitatibus plura *Levit. 18.* enumerentur exempla, de hujusmodi autem affinitate ſolum inveniatur hæc unica prohibitio, ne quis patrui ſui viduam ducat, unde etiam ad hanc unicam prohibitionem text. *Levit. 18.* reſtringunt, & hanc ſententiam defendit Dn. Richter *p. 1. Dec. 11. n. 13. & ſeq.*

§. 12. Conceſſo vero hoc principio, exinde jam facile patet, quod interveniente diſpenſatione quis poſſit ducere in uxorem avunculi relicti viduam, & uxoris ſororis filiam, ſicut cum nonnullis Theologis Petr. Weſenb. *in Conſil.* & Fichard. *vol. 2. Conſil. 68.* hoc ipſum concedunt, quorum autoritas tantum promeruit aſſenſum, ut & in multis Scabinatibus Superiori hodienum in hoc affinitatis gradu diſpenſatio adjudicetur. Quoad priorem caſum, quod quis ex Magiſtratus Superioris diſpenſatione poſſit ducere avunculi ſui viduam, duplex Dn. Richter *cit. Dec. 11.* proponit præjudicium. Quoad reliquos verò, quod quis mediante diſpenſatione poſſit prædefunctæ conjugis fratris filiam, vel etiam prædefunctæ uxoris ſororis filiam ducere, itidem nonnulla Collegii Juridici Jenenſis proponit reſponſa, ut inde colligendum veniat, quod hæc ſententia in illuſtri Scabinatu Jen. recepta ſit; Hocque ulterius exinde confirmatur, quod idem Dn. Richter *vol. 2. Conſil. 15.* hanc quæſtionem: An quis uxoris defunctæ fratris filiam interveniente diſpenſatione ducere queat? pro & contra examinet atque affirmativam per varias rationes & reſponſa Facult. Juridicarum confirmet, denique vero Inclytæ Facult. Jurid. Jenenſ. reſponſum annectat, quod itidem de obſervantia in Scabinatu Jenenſi recepta teſtatur, ſicque ſe habet: Als dieſelbe uns beygelegtes Original-Supplicatum, nebenſt dem daraus gehaltenen Protocollo zugeſchickt / und darneben bericht-

Diſpenſation und Conceſſion ſolcher verhabenden Heyrath demütig gebeten hätte &c. Alles dem Bericht nach mit mehrern: Weil dann unſere Rechtsberichtung darüber gebeten worden / demnach ſprechen wir vor Recht; Ob wohl dieſer Fall bey etlichen Interpreten bis in zweifel gezogen wird / dennoch aber weil (1) erwehnter Gradus in H. Göttlicher Schrifft nicht verboten / auch (2) nach dieſer Meinung in unſerm Collegio unterſchiedlich geſprochen worden / ſo iſt die Gräfl. Herrſchafft mit guten Gewiſſen geſuchter maſſen zu diſpenſiren befugt / es ſind aber beyde contrahentes die Diſpenſation-Gelder &c. ſo ad pias cauſas angewendet werden mögen / nebenſt Erſtattung der Gerichts-Koſten zu erlegen ſchuldig. V. R. W.

CONCLUSIO.

HÆc ſunt, quæ pro ratione temporis de nobiliſſima hac juxta ac ardua materia monere potui. Confiteor equidem, plurima adhuc fuiſſe reſidua, quorum diſcuſſionem quoque ab initio proponendam eſſe cenſui; Verum quia munificentiſſimi Nutritores celeberrimæ Univerſitatis Altdorffinæ Domini PRAESIDIS citiorem acceſſum urgent, ideoque neceſſitas flagitavit Diſſertationi finem imponere, B. Lectoris gratioſam cenſuram expoſco, inſimulque Domino PRAESIDI propitium Numen pro feliciſſimo itinere & acceſſu corditus exopto.

COROLLARIA.

INter juvenem & vetulam non eſt verum matrimonium.

Sexagenarius cum juvencula inire matrimonium non prohibetur.

Per vim ſtupro compreſſa ſertum virginitatis in capite portare poteſt.

Qui vitiatam ab alio ignoranter duxit, retinere non tenetur.

Virginitas eſt eſſentiale connubiorum quorundam requiſitum.

Quidnam *Conjugii ſit Diſpenſatio*, docte
diſſertas, RIZI. Perge! ſequetur honos.

gratulab. ſcrib.

SEBASTIANUS Niemann/
SS. Th. D. P. P. Superint. &
Conſiſt. Eccl. Adſeſſor.

Dum quid Conjugii *ſit* Diſpenſatio *monſtras*,
Diſpenſas *animi pondera clara Tui.*
Gratulor his auſis: Nam diſpenſabit *honores*
Patria Gens ſtudiis, ſuavis amice, Tuis.

Nobili DN. RITZIO, I.L. Cultori ſolertiſſimo, Themá difficillimum de Diſpenſatione matrimoniali feliciter propugnanti, hiſce cum apprecatione exoptatæ proſperitatis amicam mentem & manum exhibere voluit

HEINRICUS Linck/ D.

QUa *diſpenſari* valeant ratione *jugales*
Teda; Juridica diſſeris e cathedra.
En! *diſpenſabit* Tibi Patria *Müneris* albas
Tedas. Nec *teda Conjugii* deerunt.

Ita,
Nobili & Politisſimo Dn. Authori, Commilitoni hactenus gratisſimo, gratulabundus applaudit, inſimulq; de inculpata ejus vitâ & morum innocentiâ, Studiisq; Juridicis laudabiliter geſtis FELICITER *ſubſcribit*

DANIEL BEYER,
J. U. Licentiatus.

AN, *Qua vel Quando ſit* Diſpenſatio *juſta* Conjugii, *RIZI, non ſine laude doces*.

Perge Tuis alacer ſtudiis inſiſtere, perge!
Et Tibi conjugium *Patria pingve dabit*.

Sinceri Affectus teſtandi gratia
αὐτοσχεδιασὶ f.

M. JO. ERN. BÜTNERUS.

Peti-

Petitui

Nobilis atq; Praeximii

DN.

GOTHOFREDI RITZII,

Conterranei nec non Amici
ſvaviſſimi

deeſſe noluit

JOHANNES CHRISTOPHO-RUS CRELLIUS.

CONNUBII monſtrare GRADUS conaris Amice,
Ominor inde Tibi vincula *CONNUBII.*

M. *Quid facis, heu, RITZI! ſiſtisne jugalia vincla?*
R. *Siſto: M. ſiſte gradum, nec TE cudiſſe pigebit*
Talia juridicè: ſe ſe TIBI talia ſiſtant!

Tenui hoc dialogo Nobiliſſimo Dn. Reſpondenti, Autori præſentis Diſſertationis certiſſimo, Fautori ac Amico ſuo honorando adeſt

IO. C[illegible]STOPH. MONACHUS.

LObwürdiger Entſchluß! Wenn man denckt zuerſetzen
Die hingefallne Seul' am alten Stamm-Gebäu/
Das ſchon mit knacken ringt. O Treu/ ie mehr
als Treu!
Wenn man zu heilen ſucht durch anderweit ergetzen
Den allzutieffen Riß / der Marck und Bein verletzen
Den frommen Eltern kunt. Ach daß beſteligt ſey
Mit tauſendfachen Glück! Der gleichſam wie-
d'rumb neu
Des Vatern Hoffnung macht/die ſich vor muſte netzen
Mit vielen Thränen-Tau. Diß thut nun beſter maſen
Er / Theuer Themis-Sohn/ in dem er abzufaſſen
Die gegenwärt'ge Schrifft bemüht geweſen iſt.
Er woll' ins künfftige durch himmliſch Benedeyen
Die werth'ſten Seinigen mit mehren Ruhm erfreuen/
Biß Sie nach Neſtors-Zeit die ſchwartze Krufft
begrüſt!

Dieſe wenige Zeilen entwarff zu Ehren dem
beſonders hochgeneigten Hn. Ant-
wortenden zwar nicht mit künſt-leben-
noch dienſtlicher Feder

Joh. Friedrich Muſtagk/
B.R.B.

DIſpenſat laurum, compenſat largus Apollo
Sic opus indomitâ ſcriptaq; penſa manu.
Accipe! diſpenſat tibi Diſpenſatio, RITZI
mox diſpenſabit munera virgo. Siet!

Id quod gratulabundus
precatur

CHRISTIAN VVESTPHAL.

Ut

UT fortis miles animoſo pectore pugnat
Pro patria: in paginis ſic Te pugnaſſe probaſti
Juris. Et hinc meritâ Te Patria laude coronet.

Hæc in honorem Doctiſſimi Domini Autoris annexuit

FRIDERICUS ADOLPHUS à GERSDORFF, Eq. Luſ.

P*Oſtquam ritè doces quid* Diſpenſatio, *RITZI,*
Conjugii, *tribuet præmia digna Deus.*

Hiſce gratulabatur

S. Schüler / Phil. & SS. Th. Stud.

ANne tui fratris defuncti ambire vereris
Sponſam, quam coluit ſemper amore ſuo?
Scilicet Aſtræam; Cujus ſic nutris amorem

Perge, amor eſt licitus, nec, quo diſpenſet habebit
Princeps, in dotem clara brabea feres.

JOH. B. Borſch.

QVid *matrimonî ſit* diſpenſatio *tradis*,
Eſt labor egregius, quo Tibi ſurget honos.
Æqua Themis, quando perges, æquabit amorem
Suavis amica ſuis oribus ora premet.

Per-eximio Dn. Autori, Conterraneo atque amico dilectiſſimo gradulabundus ſcribebat

HEINRICUS Krieger /
LL. Stud.

.VA 11523796